

05

A

722





ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ

24
15

Oraculi Prophetici, quod est apud
Esaïam cap. 2. v. 2. 3. 4. 5. & 6.

De

REGNO MESSIÆ,

nec non de

PRÆROGATIVIS
NOVI TESTAMENTI,

Auxiliante Altissimo,

in illustrissima Academiâ Wittebergenfi

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI,

DOCTORIS ET PROFESSORIS
THEOLOGI

Sui

*Præceptoris, Fautoris ac Patroni
honorandi*

â

M. SEBASTIANO STARCK GREUSSENATE

Thuringo Alumno Electorali

Publicè proposita.

*Ad diem 14. Jan. in Auditorio majori
horis antemeridianis.*



WITTEBERGÆ

Typis CHRISTIANI THAM Acad. Typogr.

ANNO MDCXXV.




Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



05 A 722

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





Σὺν τῷ Θεῷ.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



I ullus locus est inter Prophetarum Oracula eximius, quo natura Regni Messiae ejusq; cum primis excellentia in Novo Testamento tanquam in tabula descripta cernatur: certè præsens est Esaiae oraculum, ideoq; ejusdem brevem analysin instituemus, posituri 1. Textum ipsum, 2. Exegesin ejus, & 3. Praxin quadruplicem, nempe διδασκαλικῶν, ἐλεγκτικῶν, ᾠδουκλικῶν & παρακλιτικῶν. Sit igitur.

I. T E X T U S.

v. 2. *Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.*

v. 3. *Et ibunt populi multi & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exhibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem.*

v. 4. *Et judicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad pralium.*

v. 5. *Domus Jacob venite, & ambulemus in lumine Dei.*



II. EXEGESIS.

Regni
Christi.

1. TEMPLIS

Prima N.

T. prae-
rogativa
quænam?

1. Est hic textus præsens merè ἐπαγγελικὸς, quippè in quo Esaias agit de Regno Christi, & quidem prout illud præparaturus sit in Novo Testamento. In his autem verbis: *Et erit in novissimis diebus* describit 1. TEMPU S seu Χρῆστοπαροσίαν, adventum Christi in carnem, quæ est prima N. T. prærogativa. Solent enim tum Prophetæ, tum Apostoli hunc adventum Christi in carnem & tempus N. T. appellare novissima tempora. Sic *Micheas* c. 4. v. 5. vocat illud itidem cum *Esaiâ* אִתְּרֵי תְּהִימִים: *Paulus* ἀλλήρωμα τῶν χρόνων *Gal.* 4. v. 4. τὰ τέλη τῶν αἰώνων *1. Cor.* 10. v. 11. *Johannes* ἐσχάτην ἡμέραν, *1. epist.* 2. v. 10. *Auther epist. ad Hebr.* 1. v. 1. ἐσχάτης ἡμέρας: idq; non propterea, quod paucos annos finem mundi prædecessuros contineat: sed 1. *ratione patefactionis DEI per filium*, quæ fuit omnium novissima juxta illud *Heb.* 1. v. 1. In novissimis diebus locutus est nobis in filio, hoc est, interprete *Barradio lib. 2. Concord. Evangelist. c. 4.* post omnes Prophetas. Et rectè quidem. Cùm enim ante adventum Christi in carnem nimis diu Prophetæ loqui cessarint, ideoq; hac phrasi אִתְּרֵי תְּהִימִים tempus intelligit illud longè remotum & posterius, quod post omnes prophetas fuit. 2. *ratione Reipubl. Judaicæ*, quæ teste *Jacobo Gen.* 49. tempore Messiaë exhibiti suam habitura sit periodum & finem, sicuti interpretantur *Euseb. Caesariensis lib. 8. de demonstr. c. 1.* *Julianus Pomerius lib. 1. advers. Jud.* nec non *D. Helvicus vindicat. loc. h. Esa.* 3. *Ratione Monarchiæ ultimæ*, quæ teste *Daniele*, c. 2. v. 44. circa tempus Messiaë sit inceptura & non nisi cum fine mundi cessatura, uti interpretatur *D. Hutterus Artic.* 23. *L. L. comm.* 4. *ratione durationis mundi*, quæ juxta traditionem *Eliæ* in tres ætates distinguitur. Prima est sine lege, 2. Sub lege & 3. Adventus Messiaë, in quo visio & Prophetia obsignatur *Dan.* 9. nec restat aliud tempus extremum expectandum, nisi extremi judicii & æternæ felicitatis.

2. Hiscé ita explicatis, non est, quod dubites, an hæc Χρῆστοπαροσία per novissimos dies hîc intellecta sit N. T. prærogativa. Si enim Deus olim multifariam, hoc est, partim per somnia, partim per visiones, partim per inspirationes se hominibus patefecit;

jam

jam verò in novissimis hiscè diebus nobis in N.T. locutus est per filium in carnem exhibitum: utiq; nostra conditio longè melior erit, quàm fidelium in Veteri Instrumento, sicuti etiam ipse Christus innuit *Luc. 10. v. 24. Beati oculi, inquit, qui vident, quæ vos videtis.* Q. d. Superioribus temporibus cœlum erat æneum *Esa. 64. vers. 1.* & rore carens *Esa. 54. v. 8;* in his novissimis autem diebus diruptum seu apertum est cœlum, & nubes depluerunt **JUSTUM, MESSIAM** scilicet Salvatorem *Luc. 2. v. 17.*

3. Progreditur jam Propheta 2. ad **LOCUM** seu **SEDEM** regni Christi, quæ in his ostenditur: *Mons domus Domini.* Qualis autem sit ille mons, haud injuria quæritur. Hierosolyma enim duos complexa fuit montes. *Unus* fuit mons ille in sacris celebris *Sion*, (latinè sonat specula) partim *ob sanctitatem Ps. 2. 6.* non quidem propriam, quæ ipsi monti & ædificiis insit: *Sed alienam*, nempè *Dei*, quod Deus sanctissimum suum Evangelium Hierosolymis primùm edidit, & per illud Ecclesiam sibi collegit, quæ est gens sancta & regale Sacerdotium *1. Petr. 2.* Partim *ob charitatem* seu amorem Dei, quo ipsum propter filium ibi concionantem est persecutus *ψ. 78. v. 2.* Forma ejus erat, quòd in meridiem sese erigebat, urbiq; Hierosolymæ in Septentrionem declivi imminebat, in quo etiam arx regia David fuit extructa: *Joseph. l. 6. de bell. c. 6. Tacitus l. 21. Annal. Zieglerus de Palæstina.* Alter autem fuit mons *Morija* (Latinè amaritudo seu reverentia Dei) in quo templum à Salomone fuit ædificatum *2. Paral. 3.* quo in loco Abraham filium suum Isaac immolare voluit, *Gen. 22.*

4. His ita præmissis, dicimus Prophetam nostrum hoc in loco loqui de monte non *Morija*, sed *Sion*. Quia 1. ille expressè nominatur *v. 3.* 2. Quia in illo fuit regia Davidis, qui fuit typus Messia, eodem loco suam habentis regiam *ψ. 2.* Unde vicissim quæritur: An textus præfens eiq; consimiles alii debeant intelligi *ἐν τῷ ὄρει* de monte illo, quo olim Hierosolymis habitarunt Reges Judæorum: an verò *ἐν τῷ ὄρει* de montis illius antitypo nempè Ecclesia, quæ est regnum Dei *Matth. 20.* Prius *ἀποτόμως* negamus: quia mons ille respectu reliquorum montium in Palæstina fuit instar colliculi non admodùm altè eminentis. Posterius verò *ἀμεταπτώτως*

II. Sedes regni Christi quænam?

τως affirmamus ex hoc: quia illi omnia probè conveniunt, quæ hic Esaias de monte enunciat. Sic Ecclesia expressè vocatur *domus Domini* Heb. 3. 3. 1. Tim. 3. 15. 1. Pet. 2. v. 5. c. 4. 17. est item erecta super omnes colles ac montes, h. e. mundi imperia per montes in sacris adumbrata, uti hæc ejus eminentia in sequentibus statim probabitur.

5. Interim tamen non inficiamur, montem Morijam fuisse etiam typum Ecclesiæ Christianæ, uti cernere datur infra apud Esaiam cap. 60. v. 13. ubi templum, quod in hoc monte à Salomone ædificatum fuit, appellatur locus Sanctitatis, quod in eo sibi Dominus sedem elegisset ψ . 132. item locus pedum Domini dicitur 1. Paral. 28. Quæ sanè omnia $\mu\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$ de Ecclesia & Spirituali ejus structura intelligi debent.

6. Nec dicam hîc alicui scribimus, qui vocem montis non tantum de Ecclesia, sed etiam de Christo velit exponere. Hic enim verè ille mons est, in quo extructa est Ecclesia, uti Paulus docet, 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS.* Hic etiam, Daniele teste c. 2, est lapis ille sine manibus, h. e. sine virili opera de monte virgineo abscissus statuam percussit factusq; est mons magnus & implevit universam terram. Sicut igitur 1. Mons hic, de quo Esaias loquitur, dicitur firmus & stabilis futurus: ita etiam est Christus mons ille lapideus domus Domini, adversus quam ne portæ quidem inferorum poterunt prævalere, tam firmo stabilitam fundamento. 2. Sicuti hîc de monte dicitur ipsum elevatum iri super omnes montes & colles: ita Christus elevatus est non tantum super Angelos Heb. 1. v. 4. Patriarchas & Prophetas, qui montium nomine significari possunt; sed etiam super omnes Reges, Imperatores & Principes, quos colles adumbrant. In Summa. Declaravit hanc eminentiam Christi Paulus propriè & absq; ullâ figura, cum ait Phil. 2. v. 3. *Humiliavit semetipsum, factus obediens &c. propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* Vide parvum lapidem factum montem magnum, & in vertice omnium collium collocatum. 3. Quemadmodum dicitur in textu: *fluent ad eum* (montem) *omnes gentes:* ita ad Christum etiam multæ gentes sunt conversæ distinctis temporibus, adeò ut vix ulla gens sit in toto orbe, ad quam doctrina Christi, h. e. lux illa Evengelii non affulserit & adhuc affulgear. Testatur hoc etiam

etiam Tertullianus lib. advers. Judæos. In quem, inquiens, alium universae gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit. Quas verò gentes intelligat, ibidem exponit. 4 Sicuti Esaias de gentibus ait, illas ascensuras ad montem Dei: ita & nos ascendimus ad Christum, dum ejus divinitatem, quæ est montis hujus cacumen, fide pertingimus, ac deinde ad summam ejus exinanitionem defluimus, tanquam ad humiliora montis loca. Hæc est allegorica horum verborum interpretatio de Christo, cui tamen eam præferimus, quâ vox montis de Ecclesia N.T. cujus mons ille Sion præclarus typus fuit, accipitur.

7. Verùm ut res paulò manifestior fiat, hunc antitypum (Ecclesiam) ad typum (nempè montem Sion) accomodemus tali modo. 1. Quemadmodum Sion olim fuit sedes regia Davidis ac cæterorum Regum Judæ: ita sedes spiritualis Regis nostri Spiritualis, qualis est CHRISTUS filius David secundum carnem Rom. 1. 3 est Ecclesia. 2. Sicut Sion, cui superstructa fuit regia sedes Davidis, fuit petra solida: ita etiam Ecclesia est ædificata super Christum, qui est verè petra illa ἀπολυσθῆσα 1. Cor. 10, 4. & fundamentum 1. Cor. 3. v. 11. portis inferorum ἀμετακίνητον Matth. 16. 18. seu ἀσάλατον, uti loquitur Basiliius.

8. Ostenso etiam regni Dominici Loco præcellentiam & majestatem nunc exponit vates, cum ait: Erit præparatus in vertice montium, & elevabitur super colles. Circa hæc verba duo veniunt observanda. 1. ψαδερμηνεία. 2. ἀληθερμηνεία. Illa est Judæorum: hæc Christianorum. Judæi, veluti R. Johannan & R. Pinhus in suo Thalmud κατ' ἀνθερωπον Φρονήτες interpretantur hæc verba de corporali aliqua elevatione, quâ Dominus montem templi Hierosolymitani tribus leucis sursum sit elevaturus: vel qua Deus montem Thabor & Carmelum in unum aliquem locum sit congesturus & super verticem ipsorum positurus urbem Hierosolymam cum templo. Unde etiam pueriliter sibi persuadent, fore, ut ad montem Morija cultus divini gratia omnes gentes ex omnibus locis confluant, in monte autem Sion Consistorium magnum constituatur, ut inde mandata ad omnes gentes promulgentur, illisq; justitia administretur. Et ne quid desit de difficultate ascensionis ad montem tam altè elevatum, fingunt, fore, ut Judæi possint
sint

sint in aëre volare, & in nubes se elevare in Thalmudic. lib. Bavan bathra.

9. Sed stolidi hæc sunt Judæorum somnia, quibus se datâ operâ seducunt. Prophetam enim hîc non loqui de monte Morija, sed Sion probatum est *thes. 4.* Quod verò de mundana regni Judaici gloria ac potentia non agat, manifestum evadit ex subsequentibus verbis, in quibus expressè vaticinatur de abiectione populi Judaici, & deletione politiæ Mosaicæ. Adde, quod hîc talis intelligenda sit elevatio, qualis est mons. Mons verò hic non est corporalis, sed spiritualis. Ergo etiam talis elevatio erit. Unde *R. Salomon* hanc elevationem non de situ, sed de dignitate & majestate miraculorum interpretatur, quæ ibi futura sint. *Comment. super h. l.* ubi etiam *ὁμολογηθῶν* habet *Abenezram*.

9. Quare aliam amplectimur interpretationem, quam afferunt Christiani certò statuentes, quidquid hic de montis firmitate & eminentia dicatur, id de amplitudine & Excellentia Ecclesiæ N. Testamenti intelligendum esse. Illa enim Hierosolymis & in Judæa cæpit, ubi & Christus & Apostoli docuerunt, ac stupenda miracula ediderunt, atq; inde ad prædicandum Evangelium omni creaturæ in totum terrarum orbem exierunt. *Pf. 19. v. 5. Rom. 10. 18. Coloss. 1. 23.* Unde etiam Daniel *c. 2.* regnum Christi comparat monti magnitudine sua totum terrarum orbem complectenti, ac in omnem æternitatem duraturo, cæteris hujus mundi regis dissipatis.

11. Maxima v. hîc intercedit Lutheranis cum Pontificiis *σὺν δόξῃ* de splendore Ecclesiæ Christi, quem Propheta hîc innuit: an nempè is sit externus, an verò internus. Pontificii splendorem Ecclesiæ propugnant externum ac regium, ut qui in Pontifice Romano ejusq; asseclis purpuratis ac infulatis maximè eluceat. Sed potenter refutantur asini isti plumbei. 1. *Scripturæ dictis*, utpote *ψ. 72. Luc. 12. 1. Cor. 1.* quæ Ecclesiam cætum minimè splendidum, sed humilem esse attestantur. 2. *Exemplo* 1. Ecclesiæ Judaicæ V. T. quæ multifariis persecutionum nubibus fuit involuta, imprimis autè sub impio Rege Achazo, & in captivitate Babylonica. 2. Ecclesiæ Judæo. Ethnicæ N. T. quæ sub Antichristi Orientalis & Occidentalis tyrannide miserè pressa fuit, sicuti Daniel & Paulus verè prænunciaverunt *Dan. 12. 2. Thess 2.*

12. Profligata hac Pontificiorum ἑσθοδοξία, amplectenda est Lutheranorum ὀρθοδοξία. Urget enim illa naturam rei subiectæ, quæ cum non sit secularis, sed spiritualis, idcirco etiam ejusdem dignitas & eminentia non erit externa, quæ consistat in auro, gemmis, infulis, diadematis, sceptris ac potentiâ regiâ: sed interna ac spiritualis, quæ spectetur in fide & charitate, quæ sunt duo Christianismi generalia capita unico aphorismo Johannitico comprehensa 1. Epist. 3. v. 23. Confer aureum Psalmum 45. quo Ecclesiæ, quæ est Sponsa Christi, majestas plûs quàm regia celebratur, addita statim Ἰσραηλ: *Omnis ornatus filii Regis ad intra.*

*Majestas
regni Christi
in quo
consistat.*

13. Nec est, ut ogganniant nobis Papicolæ, Ecclesiam hîc comparari monti altissimo, sive regiæ arcis in monte sublimi positæ. Resp. Institui hanc comparisonem à Propheta, non *ratione externi splendoris ac eminentiæ*, quâ Ecclesiam destitui antea probatum est: sed *ratione 1. Præsidi*, quod Ecclesiæ adversus quosvis hostes ex Messia præsentia semper est paratum. Quo sensu David etiam Psal. 125. v. 1. illos, qui confidunt Domino, comparat monti Sion, qui in æternum non commoveatur, quia ejus fundamentum est Christus 1. Cor. 3. Eph. 2. v. 20. 1. Petr. 3. v. 6. qui regnum habet ejusmodi, quod sua firmitate omnia mundi regna per montes in sacris adumbrata superat. Dan. 2. v. 44. Luc. 1. v. 33. Sic floruit olim Monarchia Assyriaca: floruit Persica: floruit Græca, imò floruit Romana imprimis opibus, potentia, emporiis, regnis & provinciis: viros aluit potentes, industrios, prudentes, quorum prudentia & industria Imperium longè lateq; diffusum fuit. Ecclesia verò exilis erat & tenerrima, ex parva quorundam homuncionum apud Judæos accessione, quam in primo rudimento gens Judaica odio crudeli sectata est, & ejus auctorem in crucem latum, amplissimi Imperii consensu, sententiam ferente Pilato, morte acerbissimâ peremit, ut totus nunc Christianismus intercidisse videatur. Sed ecce! perierunt præpotentes illæ Monarchiæ, adeoq; quartæ vigor penè emarcuit, nec ullum adhuc emerfit regnum durabile, quod vis humana non succiderit & attenuarit. Interea præter omnem omnium sapientum expectationem, illud Christi tenuis exordii regnum, è Sione productum, omnia terrarum regna sub-

*Regni Christi
tenuis
exordium.*

B

egit,

Regnum
Christi in-
ter maxi-
ma pericula
servatum.

egit, cum ejus sempiternam potius oblivionem Hannas, Pilatus, Herodes, Caiphas, Sacerdotes, Legisperiti & Pharisei somnias-
sent, ut mirum sit, Christianam religionem, quæ parcè admodum,
nonnullis Judæorum domunculis, ceu inter ergastula & septa sub-
stitit, inde proflui, & velocissimi torrentis instar, in orbem univer-
sum exundasse, nec vehementissimorum cruciatuum, periculo-
rum, cædium & hostilium insidiarum velut objectis molibus &
aggeribus coerceri potuisse, sed per varios casus, per multa peri-
cula, per multos Antoninos, Decios, Neronas, Domitianos, Ma-
ximos, Diocletianos, Julianos & Mahumeticolas viam virtute
Evangelii aperuisse, omnesque omnium Regnorum periodos &
tempora superasse, & ad gentes innumeras eluctatam fuisse. Hoc
profectò mirum est.

14. Firmitatem hujus regni Dominici videtur etiam innuere
hîc Esaias adhibito emphatico verbo יָסֻד , quod *B. Lutherus Tom.*
3. Lat. Jenensi Enarratione in caput 2. Esaiæ p. 303. rectissimè vertit,
stabilietur: itemq; *Osiander*: firmus fiet. Ubi tamen obiter adjicio,
versionem vulgati interpretis, qui vertit cum *Chaldeo* paratus erit,
non esse rejiciendam. Utamq; enim significationem obtinet
radix יָסֻד . Convenit etiam textui optimè. Propheta enim loqui-
tur de tempore Messiae, quo Ecclesiam sit præparaturus seu convo-
caturus ex Judæis & gentibus, quam sibi antea præpararit tantum
ex Judæis.

15. Deinde & 2 Ecclesia hîc comparatur monti super omnes
alios montes elevato, *ratione doctrine Evangelica*, quæ sub initium
N. T. stupendis miraculis ac virtutibus Messiae & Apostolorum,
toti orbi debebat inclarescere. Christus enim nec vixit nec do-
cuit in angulis aut occultis conventiculis, sed in publicis catibus,
in synagoga & templo, uti ipsemet jamjam morti adjudicandus
fateretur coram pontifice Caipha Johan. 18. v. 20. Apostolorum in-
super tum vita sanctissima, tum doctrina potentissima omnium
conspectui erat & eminebat inter omnes omnium gentium & Ju-
dæorum congregationes & religiones.

Secunda
prærogati-
va N. T.
quanam?

16. Atque sic hætenus circa considerationem temporis &
loci regni Christi primam vidimus N. T. prærogativam, quam ex-
pressit

pressit Vates. Jam pervenit ad S E C U N D A M, nempe ad ἐθνικὰ
σεία, vocationem gentium, quas 3. disertis verbis inter S U B D I T O S 3. S U B D I T I
 regni Christi refert, inquit; *Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt* *regni Chri-*
populi multi. Rex enim Messias adhuc ἀσαρῶν regnum suum ha- *sti qui?*
 bebat inter solos Judæos, qui teste Moyse Exod. 9. v. 5. erant popu-
 lus Dei in peculium ejus electus, cui etiam notus erat Deus Ps. 76,
 quippe qui illi soli præteritis gentibus digito quasi intento com-
 monstravit, וְיִבְרָיו וְיִמְשָׁפְטוּ hoc est, statuta & judicia sua Ps. 147,
 quem in finem etiam dicit Salvator ipse Matth. 15. v. 24. se non esse
 missum, nisi ad oves perditas domus Israel: factus autem ἐνοσαρῶ-
 νων, Deoq; Patri συνέσθηνων, omnibus postea gentibus sub sole vi-
 ventibus patuit ad ejus regnum accessus, quem fecerunt illis Divi
 Apostoli à Christo jamjam ascensuro ad cœlos in omnem terram
 emissi, *Marci 16, Matth. 28. Rom. 10. Coloss. 1.* Atque sic servavit Deus
 promissa sua, quæ Christo dedit *Psalms. 2. vers. 8. Dabo tibi*, inquit,
gentes בְּחֵלְתֶיךָ hoc est, hæreditatem tuam: atque sic venit
 חֲמַרְתָּ בְּלִי הַגּוֹיִם, desiderium omnium gentium *Hagg. 2.*
vers. 7.

17. Notandum autem est hîc peculiariter circa signum uni-
 versale O M N E S G E N T E S, quòd Propheta non loquatur *de actu*
Conversionis omnium ac singularum gentium, id quod vel sola experi-
 entia refutat, cum primis si intuemur Mahumeticolas, America-
 nos, & alios barbaros, quorum magna pars extra regnum Christi
 vivit: sed *de maxima parte gentium omnium nationum*, ne quidem Sa-
 racenis & Tartaris exclusis, quorum permulti ad Ecclesiam & fi-
 dem Messiaë sunt conversi sub Imperatore Valente, uti attestantur
Theodoretus lib. 4. cap. 23. Socrates lib. 4. cap. 29. & Nicephorus lib. 11. c. 47.
 Quin imò *Guilielmus Postellus* expressè scribit, hodiè in Tartaria
 magna superesse Christianos, & quidem plures fermè quàm in Eu-
 ropa reperiantur. His adde conversionem virorum religiosorum,
 quorum tria millia non tantum ex Judæis, sed etiam ex omni na-
 tione hominum, quæ sub cœlo sunt, in prima festivitate penteco-
 stali N. T. concione Petri ad regnum Christi fuerunt associata, uti
 legitur *Act. 2.* Præterea, quòd hîc vox O M N E S non de omnibus
 gentibus sit intelligenda, sed de maxima earundem parte, contra

*Magnus
 Christiano-
 rum nume-
 rus in Tar-
 taria.*

Judæos ὁμολογητοὺς habemus præclarum R. David Kimchi in 2. part. Michlol rad. 75. Facit etiam huc locus 2. Reg. 16, ubi legimus de Absolom, quòd ingressus sit ad concubinas Patris sui in conspectu Omnis Israel; & tamen magna pars erat absens cum Davide. Quod verò hodierno tempore plurimi populorum regno Christi sese nō associant, ac sua sive contumacia, sive ingratitude sacrosanctum Evangelii thesaurum sibi & posteris perdiderunt, id voluntatem & intentionem Dei (qui vult omnes ad agnitionem veritatis venire) minimè evertit, uti infra in praxi contra Calvinianos probabitur.

18. Pergimus jam ad SUBDITORUM VIRTUTES, quarum tres præcipuè gentibus attribuit Propheta. PRIMA est *Εὐαγγελιοφιλία*, *ardens Evangelii cupiditas*, quam emphaticè depingit pereleganti Metaphora in verbo Hebræo *יִרְדּוּ* *confluent*, quæ desumpta est à fluviis. Ut enim illi proprio & naturali motu feruntur, magnoque sæpè impetu de præcelsis montibus in vicinas convalles confluent: sic etiam gentes sponte sua & voluntariè, adeoq; magno etiam numero de montibus idololatricis concursuras esse ad montem Dei perdocet. Quomodo autem hoc adimpletum fuerit, id fusè & eruditè describit D. Philippus Nicolai, Tractatu de Regno Christi cap. 1. ad quem brevitatis causa lectorem remittimus.

19. SECUNDA est *Φιλανθρωπία*, *magna proximi convertendi charitas*. Dicunt enim: *Venite & ascendamus ad montem Domini & domum Dei Jacob*. Ex qua sanè *εἰσοφωνήσῃ* per *μύθησιν* à Propheta recitata cernitur, quod non tantummodo quilibet pro se accurrat, sed etiam alter alterum mutua cohortatione invitet ad frequentandam Ecclesiam montis vocabulo hîc adumbratam. Non enim opus fuit properare Hierosolymam ad montem Moriia, in quo situm erat templum Domini: sed ubicunq; sonuit vox Evangelii, istic fuit mons Domini & domus Dei Jacob. Quo epitheto Dei postremo respicit Esaias ad luculētam illam promissionem, quam olim fecit Jacobo ac cæteris patribus de regno Christi, quod jam sibi itidem commune fore gentes illæ docent, atque adeò Ecclesiam Judæo-Ethnicam colligendam esse; id quod verè impletum fuit tempore Apostolorum, inprimis in Corinthiis, Thessalonicensibus, Philippensibus, Berrhoënsibus, Ephesinis, Galatis & com-

compluribus aliis gentilibus, qui non tantum ipsi venerunt & ascenderunt ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, sed etiam alios sunt cohortati, eosque haud difficiles in parendo invenerunt, non obstantibus persecutionum praesentissimis periculis: id quod impletum fuit praesertim post Apostolorum tempora aliquot annorum centuriis in primitiva Ecclesia, cum avidius quaerebantur martyria, quam pingua sacerdotia.

20. TERTIA est, *εὐζωία*, *amussitata vitae sanctitas*, quam ceterum finem perfectionis suae ad montem Domini intendunt & expetunt dicentes: *Et docebit nos vias suas*. Finem hunc arguit litera *וְיָדוּכֵן* apposita, quae hic verti debet per causalem *Ut*, sicuti cautissime reddit B. Lutherus, *das er uns lehre*. Praemissa hac cautela, excutienda est vox *וְיָדוּכֵן*, *via*, quid nimirum gentes intelligant per viam Domini, in qua ambulare discipiunt. Annotavit autem varias vocis hujus significationes in Scripturis usitatas Excellentissimus Theologus Dn. D. Balduinus noster comment. in Zachar. cap. 8. p. 257. & 258. quas hic ascribere collubet. *Via*, inquit ille, significat in Scriptura 1. *doctrinam, leges & praecepta*, Zach. 12. 2. *morem vivendi*; Jerem. 6. *State super vias, & videte, quanam via sit bona*. 3. *religionem*. Amos 8. *vivit Deus tuus, & vivit via tua Berseba*, Item Act. 14. *Permisit Deus gentes ire vias suas*. 4. *opera, conatus & consilia* Psal. 1. v. ult. *via impiorum peribit*. 5. *totum vitae curriculum* Gen. 6. *Omnis caro corrumpit viam suam*. 6. *naturam & mores*, Esa. 55. *Viae meae non sunt viae vestrae*. 7. *via universa carnis est mors* 1. Reg. 2.

21. Excussis igitur hiscé vocis viae *πολυσημασίαις*, duo gentium desideria dispalescunt. 1. Expetunt doceri leges & praecepta Dei, inprimis autem doctrinam Evangelii de gratuita peccatorum remissione, de beneficiis Christi Mediatoris, de vero Dei cultu per Christum. Nisi enim hanc Domini viam doceantur gentes, pereundum est illis, ut quae alias ingrediuntur vias suas, *gehñ des Teuffels Holsweg*/ Act. 14. Contra, qui in viis Domini ambulat, ille tutò & benè ambulat. *Tutò*; quia via (verbum Domini) est lucerna Psal, 105. quam qui sequitur, filius lucis est; qui spernit, in tenebris manet, Eph. 5, 8. Joh. 3, 21. *Bene*: quia ducit ad patriam caelestem, in qua nostrum est *πολίτευμα*, Phil. 3, 20. Bonum igitur

B 3

est

est hoc gentium desiderium. II. Cupiunt ita ex verbo Dei instructæ ambulare in viis Domini, hoc est, volunt cultus suos idololatricos, adeoq; omnem perversam vivendi rationem abjicere, ac vitam suam juxta verbum Domini instituere, tanquam amissam & normam, atque sic fidem suam in Christum demonstrare vero cultu, confessione, patientia & dilectione proximi. Hoc est gentium desiderium alterum pientissimum. Observant enim ordinem omnibus Christianis dignissimum. Primum enim addiscenda est doctrina Dei tum legalis, tum Evangelica, quam hinc voce Via Esaias exprimit: hac autem cognita, subsequi debet nova obedientia. Qui enim sciunt tantum vias Domini, eas autem non ingrediuntur, illi non sunt sancti Christi cives & filii, ideoq; vapulabunt multum Luc. 12. v. 47.

Tertia N.T. prerogativa quaenam?

22. Circa tertiam hanc gentium virtutem nota etiam **TERTIAM N. Test. PRÆROGATIVAM**, nimirum *Ἰεσδιδάξια*, quæ Christianis in Novo Testamento cumulatior obtigit. Cum enim hinc gentes dicunt: *Et docebit (Dominus) nos vias suas*, idem sanè exprimere videntur cum Esaias, qui c. 54. v. 13. Dominum ita loquentem introducit: *Et ponam universos filios tuos doctos à Deo*. Unde etiam juxta Jeremiam c. 31. v. 34. *non docebit vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum: Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum*. Quæ verba rectissimè exponuntur

Hodie in N. T. pueri sæpè doctiores Sacerdotibus Judæis.

de magnitudine cognitionis Christi, quæ videlicet in N. T. longè plenior sit futura, quàm fuerit in Veteri. Hodiè enim vel pueri minores explicatiùs intelligunt mysterium redemptionis nostræ, quàm olim fortasse aliquis ex præcipuis Sacerdotibus Judæis.

23. Præterea hæc docendi ratio, de qua hinc Prophetæ concionantur, non in externa tantum voce sita est, sed etiam in arcana Spiritus S. operatione. Breviter & uno verbo. Hæc *Ἰεσδιδάξια* seu magisterium Dei docendi est ipsa interior cordis illuminatio, quam sibi etiam gentiles pollicentur. Unde tantum abest, ut hinc à Prophetis ministerium verbi rejiciatur, ut potiùs salutaris ejus efficacia prædicetur, quæ potissimum Christi tempore sese sit exercitura. Licet enim doctrinâ Evangelii etiam veteres in V. T. docti fuerint

fuerint, multò tamen cumulatior incepit impertiri à Christo incarnato & glorificato. Quare Deus docet, sed per externa media: Fides enim ex auditu est Rom. 10. v. 17. Deus dat Spiritum suum veritatis & Intelligentiæ, sed per Verbum Evangelii: dat incrementum, sed per plantationem Pauli, & rigationem Apollō 1. Cor. 3. v. 6. atque sic, quæ auctore Deo fiunt, Apostolorum & aliorum Doctorum ministerio distribuuntur.

24. Ostensâ hâc virtutum triade, quibus gentes novos Christi Subditos exornat Vates, pervenit IV, ad S C E P T R U M regni Christi, cum ait: De Sion exhibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem. Hic audimus quòd Sceptrum Christi sit solum Verbum, quo colligit & gubernat suam Ecclesiam. Monstratur illud voce *הַרְוֵהוּ*, quæ hoc in loco non significat legem Mosaicam, quippe quam hic innuit tacita *ἀντίθεσις* legis propriè sic dictæ, quæ promulgata est in monte Sina, & Evangelii, quod in Sion seu Hierosolymis est patefactum. Unde etiam Christus ipse hoc vaticinium Esaiæ de divulgatione Evangelii exponit Luc. 24, v. 47. idq; impletum fuit partim in ipsâ festivitate Pentecostali, quâ Apostoli *ὁμοθυμαδὸν* congregati prædicarunt *τὰ μέγαλα τῶ θεῶ* auscultantibus viris ex omnibus nationib9, quæ sub cælo sunt Act. 2. v. 5. partim in ipso egressu in totum terrarum orbem, quem voce Evangelii replerunt; initio autem factò ab Hierosolymis.

25. Quare hæc *κοινὴναγγελιολογία*, publica & solennis Evangelii prædicatio est QUARTA N. T. PRÆROGATIVA. Lex enim, quæ iram operatur Rom. 4. v. 14. in servitutem generat Galat. 4. v. 24. & occidit 2. Cor. 5. v. 6. solius V. T. doctrina fuit, uti videre est Exod. 19. & Deut. 5; ubi Deus in monte Sina inter tonitrua ac fulgura fædus pepigit cum populo Israëlitico ex servitute Ægyptiaca educto, cui si legem istam servarent, promisit vitam æternam. Contra v. Evangelium quod vivificat 2. Cor. 3. v. 6. ac directè Medicum ostendit ac peccatoribus commendat Joh. 3. v. 16. est solius N. T. doctrina: siquidem in monte non Sina, sed Sion promulgata est; atque sic ratione promulgationis posterior est, unde etiam à Paulo N. T. vocatur Spiritus vivificans, ministerium justitiæ, Spiritus & vitæ cordibus nostris inscribens legem Domini, id quod facit Evangelium.

IV. S C E P T R U M
regni Christi
quod-

Quarta N. T.
prærogativa
quænam?

lium. Contrà vero Vetus Testamentum nominatur litera occi-
dens, ministerium mortis & damnationis, generans ad servitutem,
& doctrina seu lex tradita tabulis lapideis 2. Cor. 3. v. 6. Quòd si
ergò in V. T. vita, salus & gratia prædicata fuit, id beneficio Evan-
gelii factum est, & propriè ad N. T. pertinet: dispensabant enim
illi sancti per congruentia temporis T. V. pertinebant autem ad
N. T. uti ait *August. epist. 120.* Vicissim si qua præcepta in N. T. re-
periuntur, illa ad legem propriè pertinent: siquidem N. T. præce-
pta legis non affert, sed vires suppeditat cum delectatione incho-
andi illa quæ in lege præcipiuntur. Unde iterum *Augustinus lib. 1.
de pecc. merit. & remiss. cap. 11.* rectè docet: *A Christo, inquit, an-
tiqui patres gratiam acceperunt. Lex enim V. T. jubere tantùm, non coad-
juvare poterat.*

24. Auget hanc prærogativam etiam ipsa Evangelii promul-
gatio: siquidem vox Moysis fuit gracilis, ac audita tantùm in do-
mo Jacobi seu in populo Judaico. Contrà verò vox Apostolorum
sonora in toto terrarum orbe Psal. 19. Et sanè pertinebat hoc ad
Messiæ dignitatem. Sicut enim ad unam aliquam domum illu-
minandam una lucerna sufficit: ad illuminandum verò totum
orbem Solis splendor opus est: sic ad illustrandam unam domum
Israel Testamentum Vetus suffecit: ad illuminandas verò omnes
terræ regiones N. T. fulgor erat necessarius: quandoquidem non
nisi exhibito Messia ac politia Judaica priùs honorificè sepulta
solemnis illa Evangelii promulgatio fieri potuit.

Questio.

25. Movetur autem circa hanc prærogativam seu promul-
gationem Evangelii haut immeritò quæstio illa nobilis: *Quo ni-
mirum tempore inceperit Novum Testamentum?* Occasionem dubitan-
di movet Paulus Gal. 2. v. 17. ubi asserit, promissionem illam Evan-
gelii de semine benedicto non esse abrogatam per legem, quippe
quæ 430. annis demum post fuerit promulgata. Sed respondemus
hîc distinguendo promissionem Evangelii qualemcunq; à solemnem
ac universali. Illa vetustior est lege Mosaica ratione vid. solemnem
Dei dispositionis, quæ describitur Exod. 19. & à qua sola Veteri
Testamento suum nomen sortitur: hæc verò longè posterior est
Veteri

Veteri Testamento respectu solemnisi & universalis prædicationis, quæ hîc Esaia 2. prædicatur, & à qua sola N. T. appellatur. Hiscè igitur explicatis breviter respondemus ad quæstionem propositam dicendo N. T. incepisse demùm pleniùs in solemnisi & universalisi Evangelii promulgatione, quæ facta est ab Apostolis post ascensionem Christi ad cœlos, quæ multò illustrior fuit prædicatione Johannis Baptistæ, à cujus temporibus initium aliquod accepit. Et tantùm de SCEPTRO regni Christi.

28. Pervenit jam Vates V. ad JURISDICTIONEM, quam describit in his verbis? *& judicabit gentes, & arguet populos multos.* **II. JURISDICTIONE**
Q. d. Ut regna politica non tantùm suis constant legibus & statutis, sed etiam judiciis, in quibus secundum leges judicantur. **regni Christi**
Subditi: Ita etiam regnum Christi non tantùm certas habebit leges, sed **sti quanam?**
etiam sua judicia, quibus videlicet fideles ejus subditi, i e. qui Evangelio credunt, sint servandi, increduli verò damnandi, juxta illud classicum *Joh. 3. Qui credit in eum (Christum) non condemnatur, qui verò non credit, jam condemnatus est.*

29. Exercuit verò Christus hanc potestatem suam judiciariam sibi à Patre datam, *Joh. 5, 23.* partim *ἀποστολικῶς*, ministerio suo in Judæa, partim ministerio Apostolorum in mundo universo. Cùm enim in gregem Christi, quem sibi is in Judæa è primitiis gentium collegerat cum Apostolis, sese etiam hirci & hædi, hoc est, hypocritæ & increduli ingererent, illos sanè Christus & Apostoli arguerunt, neq; simpliciter arguerunt, sed etiam certis ac firmis argumentis convicerunt (ut h. l. verbum *הוֹכַרְיֵנִי*, quod respondet Græco *ἐλέγξει*, hanc importat emphasin *Joh. 16.*) 1. de peccato hoc est, de incredulitate, quæ radix omnium scelerum *Matth. 15. 19. Rom. 14. v. ultim. 2. de Justitia*, intellige partim Politicam, quæ consistit in externis bonis moribus, partim Pharisaicam, quæ consistit in operibus electitiis & bona intentione confictis. Utraq; autem vana & nulla *Esa. 64. 6. Phil. 3. 8. Luc. 17. v. 10. &c.* 3. de Judicio, nempè temerariæ usurpationis, quale reprehendit Christus in Pharisæis & Pontificibus Judæorum, qui de Christi vita & doctrina sinisterrimè sentiebant, *Joh. 8.*

C

30. Dices!

30. Dices! Quomodo Christus officio severi judicis fungi poterit, si sceptrum regni ejus est Evangelium, cujus proprium consolari, *Pf. 23.* Salvatorem sanè vix decebit hoc officium.

31. Respondetur. Distinguendum est inter officium Christi proprium & accidentarium. Proprium ejus officium est *ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς* *Luc. 19. 10. Matth. 20, 28. Marc. 10, v. 45.* itemq; evangelizare afflictis *Es. 61. v. 1.* Cum verò permulti ipsam & Evangelium ejus spernant ac persequantur; ideoq; debet istos contemtores arguere, & judicare, sed fit ex accidenti: id quod vel solæ ejus lachrymæ super refractarios Judæos profusæ attestantur. *Lucæ 19.*

32. Quamvis autem Christus non amplius judicet *ἀμέσως*, immediatè in persona propria, sicut fecit olim visibiliter in terris ambulans: tamen hoc facit *ἐμμέσως* mediatè, per viros nempe Apostolicos, Spiritu S. ornatos *Joh. 16. v. 8.* quod judicium cessabit in extremo die. In hoc enim vicissim exercebit illud immediatè, sicuti scriptum est *Act. 17. v. 31. Statuit diem D E I I S, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.*

33. Atq; sic hæcenus excussimus regni Dominici proprietates ac circumstantias, nempe 1. *Tempus*, 2. *Locum*, 3. *Subditos*, 4. *Sceptrum*, 5. *Jurisdictionem*. Hiscè verò Propheta quædam annectit, quæ faciunt ad descriptionem regni Dominici ejusq; subditorum, cum inquit: *Et constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

*Quarta N. Ex his verbis colligitur QUARTA NOVI TEST. PRÆROGATIVA, nempe ὁμεθνο-ἰσθδαιοθυμία, hoc est, amica gentium & Judæorum concordia, quam hîc allegoricè describit. Cùm enim hi populi capitali ac planè irreconciliabili odio in V. T. propter religionis diversitatem dissensissent, ideoq; docet hîc Esaias, eos in N. Testam. ubi ad Christum (à quo sublata est maceria inter Judæos & gentes. *Eph. 2. v. 14.*) conversi fuerint, redactum iri in talem concordiam, ut non amplius contrà se mutuò insurgant, excitatis bellis ac tumultibus, sed amicam colant pacem & mutua animi charitate flagrent tanquam unus in Christo populus, unus grex, unum corpus*

corpus & unum ovile. In hoc enim, ait Salvator *Job. 13. v. 34.* cognoscent vos esse discipulos meos, si dilectionem habueritis ad invicem; hoc est. Si gladios in vomeres & lanceas in falces commutaveritis: Si nullus inter vos discordiæ gladius, nulla odii hasta, nullum invidiæ telum reperiatur. Arridet hæc expositio etiam Tertuliano, qui *lib. 3. contra Marc. Concident*, iuquit, *macheras suas in aratra, sabinas in falces, hoc est, animorum nocentium & linguarum infestarum & omnis malitiæ ac blasphemæ ingenia convertent in studia modestiæ & pacis.* Hæc ille.

34. *Objicis forsân.* Ubinam terrarum tanta viget pax & concordia inter omnes cives regni Christi, inter gentes potissimum & Judæos, quantam hîc prædicat Esaias? Diversa fanè hîc est religio, diversa fides, diversus amor, diversa mens, diversa voluntas.

35. *Resp.* Prophetis valdè solemne est Ecclesiæ tales promissiones DEI proponere, quæ ut plurimum sunt intelligendæ cum notabili differentiâ hujus & futuri seculi, ut nempe id, quod promittitur, hîc quidem revera inchoetur, illic autem certissimè ac plenissimè consummetur. Huc facit pulcherrimus locus, qui extat infrâ apud *Esaiam c. 32. v. 17. & 18.* ubi dicitur; *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* *בְּיָוֵה שְׁלוֹם*, *in pulchritudine pacis* *וּבְמִנְחֹת שְׁאֲנֹת* & *in requie* *שְׁאֲנֹת* *superba*, in *Stolzer ruhe* uti venustè vertit B. Lutherus. Etsi igitur in hujus naturæ imbecillitatem plena animorum conjunctio non cadat, attamen sequetur summa Ecclesiæ securitas in vita æterna, ex qua omnis exulabit discordia. Pulchrè hoc describit *Innocentius Serm. 3. Dom. Lat.* *Ibi erit securitas sine timore; Jucunditas sine dolore; tranquillitas sine labore. Ibi erit Christus sine malitia; Veritas sine fallacia; felicitas sine miseria.* Adde quod, qui bella movent in mundo, nulloq; planè amore complectuntur proximum suum, non pertineant ad regnum Christi, nec illos Christus agnoscat pro civibus suis, quippe cujus regnum totum est pacificum *Es. 9. Zach. 9.* Quare de fidelibus Christi civibus loquitur hîc Esaias, qui quantum ad ipsos pertinet, pacem sint servaturi cum omnibus & benefacturi omnibus. Cujus benevolentia exemplum extat in bene-

Obj.

Resp.
Promissiones DEI sæpè intelligendæ cum differentiâ hujus & futuri seculi.

ficentia illa, quam gentes fideles fratribus suis egenis Judæis tempore famis præstiterunt, teste Apostolo 2. Corinth. 8. & 9.

Instantia 1. 36. *Instas.* Quid sibi verò volunt verba illa in textu; *Non Exercebuntur ULTRA AD PRÆLIUM?* Certè perpetua pax hîc exprimi videtur: siquidem particula *וַיַּעַן* illam innuit.

Resp. 37. Respondemus. Particula *וַיַּעַן* non semper perpetuitatem notat, sed sæpè pro magno tempore accipi solet, id quod R. *David Kimchi* concedit in 2. parte *Michlol* ut 1. Reg. 7. vers. 13. Non addiderunt *ultra* Philistæi transire terminos Israel, hoc est, longo tempore, seu quamdiu Samuel præerat, utj cernere datur 1. Sam. 13. 15. Consimilis locus extat Gen. 34. 10. Non vocaberis *ultra* Jacob, sed Israel erit nomen tuum. At postea sæpè vocatus est Jacob, Joel. 2.

Instantia. 2 38. *Instas adhuc.* Si Evangelium è Sione productum tantam pariturum est concordiam & pacem, quorsum quæso illud Christi? *Non veni pacem mittere, sed gladium*, Matth. 10. vers. 35. Estnè hæc natura Evangelii excitare dissidia? Cessatura illa tempore Messia ait hîc Propheta. Qui ergò vaticinium Esaiæ cum Christo congruit!

Resp. 39. Respondemus. *Christus & Esaias* non pugnant invicem. Christus enim loquitur de pace mundana, eâq; secura, supina, voluptuaria & luxuriosa, qua pulchrè convenit animis iisdem morbis laborantibus. Nam Christus non est peccati minister Job. 8, 46. nec vitiorum patronus aut propugnator Heb. 7. 26. sed justus ille princeps pacis, Es. 9. 6. qui pacem dat suis: pacem reliquit suis: sed pacem suam, quam nequit dare mundus, imò quam odit & execratur mundus Johan. 14. vers. 27. pax enim Christi est pax conscientiarum, quâ benè nobis cum Deo convenit, quem credimus propter Christum nobis esse reconciliatum Rom. 5. atq; iccirco execramur concupiscentias mundanas, convenimus cum bonis omnibus, dissentimus à perversis omnibus. Mundana autem pax ea saltem, quæ mundi sunt, respicit. Hæc igitur est sors Evangelii Sionii, ut dissidia excitet inter homines: id quod accidere consuevit non ex natura Evangelii, est enim doctrina pacis Eph. 6.

Eph. 6. v. 15. sed κατὰ συμβεβηκός, nimirum quia est Diabolo & ejus organis invisa Gen. 3. damnat etiam rationis speculationes in negotiis fidei Es. 9. vers. 14. cap. 33. v. 18. 1. Cor. 1. 19. 20. quæ tamen mundus magnificat, eaq; sequenda contendit. Hinc igitur dissidia, hinc bella, hinc tumultus. Rectè Chrysof. homil. 36. in Matth. Non ex proposito Christi, sed ex mente, animoq; hominum vitioso bellum erumpit. Quod verò Esaias hinc, ut & alii Prophetæ insignem pacem ac tranquillitatem sub regno Christi promittunt, intelligunt pacem Christi, pacem illam spiritualem, quæ viget in piis conscientiis, in veris Christi civibus, qui inter se sunt discordes, etiamsi in mundo sint bella & tumultus. Atq; hæc est prima horum verborum interpretatio.

40. Non ineptè etiam 2. exponitur hic textus de pacifica Evangelii promulgatione, quæ non est peracta armis, ne existiment Judæi Messiam bella gesturum, ejusq; legem & imperium vi armorumq; potentia propagandum. Non ita. Conflabunt gladios in vomeres Messiae milites, hoc est, Apostoli cæteri q; Evangelii promulgatores; & lanceas suas in falces. Vomeribus enim opus erit, non gladius ad pro scindenda hominum terrena corda, ut cœleste semen excipiant: falces necessariae erunt, non hasta, ad demetendas uberes segetes, ut in horreum Ecclesiae deportentur. Unde etiam ipsi concionatores dicere incipiunt, non armis, sed voce, & à Judæis exordiuntur: Domus Jacob, inquit, venite, & ambulemus in lumine Dei.

41. Interpretantur deniq; quidam 3. hunc textum de pace corporali, quæ eo ipso tempore floruit, quo promissus mundi Messias natus est, & Apostoli gentibus Evangelium prædicarunt. Huic interpretationi favere videtur. D. Hieronymus super h. l. Esaiæ, ubi ait: Evangelica doctrina pax Romani Imperii preparata est. Benè. Ut enim universo orbi possent Apostoli cæteri q; discipuli Evangelium promulgare, pax fuit necessaria, quæ bellorum strepitus sedaret, armorumq; tumultus compesceret: siquidem (ut Cic. pro Mil. ait) inter arma silent leges. Pacis hujus memorabilis mentionem etiam facit Evangelista Lucas cap. 2. cum ait: Exiit decretum à Cesare Augusto, ut describeretur totus orbis. Hæc verò descri-



ptio fieri sanè non potuit unius Imperatoris edicto, nisi tùm temporis magna pax floruisset. Et sanè solet Christus Princeps ille pacis interdum Ecclesiæ pacem indulgere. Quàm pulchrâ enim quiete Ecclesiæ per universum terrarum orbem sub Constantino Magno usæ sint, *Eusebius* in *descript. encæniorum & panægyric. solemnitatum lib. 10. c. 2. & 3.* commemorat.

Propheta
plerunq; pa-
cem Spiritualem
phrasibus
ab externa
pace
desumptis
describunt.

42. Atq; hæ sunt tres illæ expositiones textus hujus de conversione gladiorum in vomeres, & lancearum in falces, quarum duas tamen priores posteriori præferimus. Prophetæ enim in more habent metaphoricis locutionibus ab externâ pace desumptis pacem illam spirituales, quæ consistit partim in conscientia tranquillitate, partim in amica animorum conjunctione, describere. Consimilis talis concordia inter cives Christi descriptio extat *Esa. 11. 7.* quam illustrat ac amplificat allegoriâ quadam animalium sævorum & mansuetorum, veluti luporum, pardorum, leonum, urforum, aspidum & basiliscorum: item agnorum, vitulorum, vaccarum, ovium & boum. Per sævas illas & feroces bestias quicunq; impii sive ex gentibus, sive Judæis Ecclesiæ Christi hostes intelliguntur: per mansuetas autem bestias, pii. Illos Evangelii doctrina & Spiritu Christi sic cicurandos & admirabili quadam metamorphosi transformandos esse docet, ut cum piis in unum Ecclesiæ corpus coalescant. Quam conjunctionem verbis cohabitandi, simul accubandi, simul pascendi & colludendi designat.

43. Quia verò *Esaïas* in Spiritu longè prævidit, fore, ut maxima pars Judæorum Christum & ejus doctrinam superbè rejiciat, cætum piorum gentilium fugiat, atque sic spirituales illam pacem conscientia minimè assequatur, concludit totum hunc textum seria exhortatione ad Judæos facta, qua vult ut & illi cum gentibus Christo sese adjungant, ac desertis suarum superstitionum tenebris in lumine doctrinae Evangelicæ ambulent, cum ait: *Domus Jacob venite, & ambulemus in lumine DEI.*

Sexta N.
T. prerogativa
quænam?

44. Quibus verbis consolatione plenissimis **SEXTA NOV. TESTAM. PRÆROGATIVA** exprimitur, nempe *Evangelii claritas.*
Voca-

Vocatur enim hîc ab Esaia lumen , non secus ac à Psalmista
Ps. 37, 10. ubi ait: *In lumine tuo videbimus lumen, hoc est, ex doctrina
Evangelii tui amplissimam percipiemus consolationem.* Quamvis autem
in V. T. hæc ipsa Evangelii doctrina etiam sonuerit: siquidem
multæ inibi occurrunt promissiones de Messiaë persona & officio:
illis tamen ob typorum cumprimis involucra quædam inest ob-
scuritas, quæ in Nov. Testam. penitùs est sublata. Unde D.
Paulus *Rom. 13. vers. 12.* Vct. Testam. rectè nocti comparat, quippe
quod habuit tantum *omnium* rerum futurarum *Coloss. 2. v. 6.* Novum
autem Testamentum diei, ut quod habet res ipsas, nempe Chri-
stum, non modò quoad beneficia, sed etiam quoad substantiam
corporis, quo carebant Veteres. Sicut autem umbra res ipsas non
fatis perspicuè repræsentat, sed obscure: sic lex futura Nov. Test.
bona non ita clarè expressit, ut ab omnibus intelligerentur, sed
delineavit tantum, ut ita Evangelii & divini Spiritus lumine opus
fuerit ad ea cognoscenda: cujus promissionem inprimis in Nov.
Testam. dedit Omnipotens *Jeremia 31. v. 33.* idemq; *Joel. 2. vers. 28.*
Et huc spectat etiam illud Hieronymi ad Gal. 4. *Priusquam Christi
Evangelium in toto orbe coruscaret, habuerunt suum fulgorem præcepta
legalia: postquam verò majus Evangelicæ gratiæ lumen effulsit, & Sol
justitiæ toti mundo se prodidit, stellarum lumen absconditum est, & eadem
radia caligaverunt.* Hæc ille. Vult igitur Propheta noster
hoc dicere: Recipite; ô Judæi, Christum lumen illud ma-
gnum, *Es. 9. 6.* & Solem justitiæ *Mal. 4.* qui vel tandem depulsis
Veteris Testamenti ceremoniarum umbris, novam mundo infe-
ret lucem, Evangelium nempe, quo mentes vestras illuminabit.
Unde eo ipso tempore, quo Christum in majestate videbitis, ex-
pleto jam redemptionis munere & Evangelii doctrina in toto or-
be propagata, longè major lux vobis affulgebit, quàm olim,
cum CHRISTI umbras & typos habuistis, aut eum in carnem
quidem exhibitum, sed in forma servili videbitis. Quare cùm
tempore Messiaë in doctrinâ ejus Evangelicâ proficiendi occasio
longè major danda sit, ea fanè vobis haut negligenda fue-
rit.

U S U S.

45. Atq; hæc est textus præsentis ἐξήγησις, sequitur nunc ejus usus, qui est quadruplex 1. διδασκλικός, 2. ἐλεγκλικός, 3. ὀρθοκλικός, 4. παραινέλικός, hoc est, ad doctrinam, ad redargutionem, ad consolationem & denique ad adhortationem referri potest.

U S U S D I D A S C A L I -
C U S.

Quando
inceperit

tempus N.
Testamenti?

46. In textu præsentis sextuplex nobis proponitur doctrina. Prima est de TEMPORIBUS Novi Testamenti; quod potissimum incepit in promulgatione Evangelii, quæ facta est ab Apostolis ex-
untibus ex Sion, i. e. Hierosolymis in totum terrarum orbem, Ps. 19.
Marc. 6. Rom. 16.

Regnum

Christi nu-
mero unum.

47. Altera est de regni Christi proprietate, quæ consistit in unitate, id quod patet ex hoc loco Esa. qui describit regnum Christi μοναδικῶς in numero singulari, vocans illud הַיְהוָה בֵּית דָּוִד, mons domus Domini. Consimilis descriptio invenitur Dan. 2. 44. Luca 1. v. 33. Joh. 18. v. 36. Coloss. 1. v. 13. Qua sanè dicta parallela regnum Christi partim ἐμφατικῶς multitudini regnorum mundanorum sub unitatis nota opponunt: partim verò ab omni humana conditione & forma eximunt: ita ut ἀξιώσια Διανοίας videatur laborare Pontifex Romanus, qui se Christi vicarium ementitur, ac regnum ejus externis & terrenis mediis asserere & propagare studet. Ubi tamen etiam notabis hanc unitatem regni Christi non tolli, si maximè quoad administrationis modum geminum dicatur. Est enim regnum Christi tali respectu partim cæleste, quod triumphantis Ecclesiæ termino circumscribitur, in quo Christus Ἰεσοῦς & omnibus beatis imperat: partim terrenum, quod in hac vita peragitur; estq; iterum vel regnum potentiae, in quo omnibus creaturis imperat, ψ. 8. ψ. 110. vel gratiæ, in quo gratuita sua misericordia omnia bona spiritualia mediante ministerio verbi & administratione Sacramentorum nobis offert, exhibet & explicat.

quoad mo-
dum admi-
nistratio-
nis diver-
sum.

48. Ter-

48. Tertia est de REGNI CHRISTI DIVERSITATE, quæ
elucet

I. Ex amplitudine, qua superat regnum Christi omnia mundi regna. Latè enim olim dominati sunt Nebucadnezar & Cyrus Hydaspis: latius imperavit Alexander Magnus: omnium latissime imperat JESUS CHRISTUS, quippe qui omnes populos & omnes gentes hic dicitur accepisse in subditos. Unde etiam ejus imperium sese extendit à mari ad mare, imò usque ad fines terræ, Zach. 9. Esa. 6. Psal. 24. Nec obstat, quod Christus ipsemet Ecclesiam vocat gregem pusillum, Luc. 12, 32. Id enim non respectu loci dictum est, quasi intra angustos mundi angulos sit conclusa: sed respectu civium Ecclesiæ, quorum numerus in collatione eorum, qui foris sunt, sanè est exiguus: interim habet Deus etiam particulam Ecclesiæ suæ in ultimis terræ finibus: in quem finem sceptrum regni sui, hoc est, prædicationem Evangelii misit in universum orbem.

Regnum
Messie de-
cem modis
à politico
regnis di-
stingui pro-
batur.

II. Ex Administratione judicii & justitiæ. Dicitur enim in textu: Et judicabit gentes & arguet populos multos. Fuerunt equidem in populo Dei aliquot pientissimi Reges, veluti David & Josaphat, qui summo sanè studio justitiæ rationem habuerunt, sed num eandem semper, uti par est, & ubique administrarint, dubium est. Obstat enim hominum malitia indomita: obstat intellectus caligo & ignorantia, qua quis præpeditus justitiam non cernit, multò minus administrat. Verùm de Christo prætermissio ullius judicii nec dici nec cogitari quidem debet. Cum enim in illo omnes θεσουργίαι σοφίας καὶ γνώσεως sint absconditi Col. 2. v. 3. certè illum nihil latere potest. Quin imò cum ille sit Salvator ille JUSTUS Zach. 9. justitiam sanè non potest non exercere.

III. Ex perpetuitate. Omnes mundi Monarchiæ etiam præpotentes in regna fuerunt concisæ & in principatus humiles decreverunt, omniaq; passim rapinis, bellis & odiis mutuis lacerantur, conficiuntur & fatiscunt, municipia & urbes florentissimæ depopulantur, nec ullum est regnum, quod non habeat suam periodum. Contra regnum Christi durat in omnem æternitatem Dan. 2.

IV. Ex Armis. Mundana regna armis defenduntur & propagantur. Si quis verò roget: Ecquonam scuto, quibus frameis,

D

tormen-

tormentis & armis adversus mundum tantoperè insolescentem & debacchantem, Ecclesia sese inde ab initio defenderit, atque etiamnum tutetur? *Resp.* Non eam aliis nisi armis, quàm quibus ipsa primùm collecta, & postea in omnes terræ fines propagata est, nimirùm acuto & ancipiti Spiritus Sancti gladio, scriptis Prophetis & Apostolicis comprehenso, tamq̃; ad ἔλεγχον quàm διδασκαλίαῦ utili, 2. Tim. 3. Hoc est Sceptrum illud, quo Rex noster Christus è Sione & Hierosolymis emisso, terrarum populos subegit, gentes ferocissimas domuit, regna obluētantia depressit, tyrannos contudit, & plurima Adversariorum consilia disturbavit. Hunc gladium, hoc Sceptrum non desinit Ecclesia vigiliis & laboribus assiduis legendo, meditando, docendo & testificando exercere, quin semper luctetur, semper in hostes feratur, semper vincat & triumphet, quantumvis horridæ innumerabilium periculorum tempestates sint ferendæ. Quin imò, quo crudelius infestatur Christiana religio, eò ampliùs propagatur & incrementum sumit frustrà oblatrantibus stridentibusq̃; inferorum portis. Documento hîc nobis sunt gentiles, qui admiranda planè alacritate societati Christianæ sese cupiunt adjungere, non obstantibus periculis, quæ ipsorum cervicibus sæpè imminebant.

V. *Ex Beneficiis*, quorum duo hîc allegoricè exprimit Vates, nempe 1. *Tranquillitatem Conscientiæ.* 2. *Mutuam animorum concordiam.* Cùm enim audimus ex concione legis, Deum irasci peccatis Lev. 25. Psal. 5. adeoq̃; illa severissimè punire, Deut. 27. exurgit in nobis timoret trepidatio Psal. 6. sed cum concio Evangelii percipitur de gratuita peccatorum remissione, Rom. 3. & reconciliatione nostra cum Deo, tranquilla fit nostra conscientia Rom. 5. Qui verò sentit Deum sibi placatum, ille bono Spiritu regitur, qui illum accendit ad studium pacis & concordia Gal. 5, adeò ut conjunctissimè cum iis vivat, qui tamen sunt diversissimis naturis ac ingeniis. Et si maximè interdum similtas aliqua oriri soleat, eam tamen mox vera pænitentia supprimit, atque sic omnis è regno Christi exulat discordia. Quin imò quis fando explicare poterit divinas alias regni Christi opes, quæ cum terrenis gemmarum locupletissimis fodinis ne comparari quidem queunt. Confer *Zach. 6.9. Rom. 8.14. v. 17.*

VI. *Ex*

VI. Ex LEGIBUS. Regna mundi ut plurimum legibus & institutis humanis seu politicis gubernantur: Regnum verò Christi gubernatur institutis planè divinis. Unde gentes in textu sperant à Christo doctum iri vias Domini.

VII. Ex Regis Nobilitate. Alii Reges, qui ad Imperii gubernacula sedent puri puti homines sunt ac multis peccatis coinquinati. Contrà Rex Christus est *Jehova*, uti eum appellat hîc Esaias v. 2. & 3. adeoq; etiam homo in unitate personæ, cujus præstantes titulos infra recitat Propheta cap. 9, 7. ubi ipsum appellat admirabilem, consiliarium, Deum, fortem, Patrem futuri seculi, principem pacis. Hisce excellentiis, quas Propheta hic omnes suppe- ditat, adde etiam *ἐν ᾧ ἰσχύει*.

VIII. THRONUM CHRISTI GLORIOSUM, qui nihil aliud est, quàm ejus divina Majestas, de qua ipse concionatur Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Throni hujus typus fuit thronus Salomonis. Sicut enim ille ex ebore candidissimo præparatus, auro tectus, gradibus & aureis leonibus adornatus fuit, ac proinde omnium Regum solis excellentior prædicatur 3. Reg. 10. Ita quoque Thronus Christi ex ebore est candidissimo propter eximiam Regis sanctimoniam: auro tegitur, quod divinam ejus majestatem ac infinitas opes indicat: Leonibus veluti munitur, quia fortissimum est hoc solium. Per multos cruciatus tanquam per gradus Christus pervenit ad regnum gloriæ, Luc. 24. Quare ob throni hujus majestatem Christus meritò dicitur Rex Regum, ac Dominus dominantium Apoc. 19.

IX. REGIS CHRISTI POTENTIAM. De nullo alio Rege legitur, quòd imperet peccato, iræ Dei, Diabolo & Inferno; tantò verò sublimior est potestas Christi, qui potentissimos illos hostes prostravit ac peremit Os 13. 1. Cor. 15. Heb. 2.

X. Denique REGIS CHRISTI PAUPERIATEM, de qua concionatur Zach. 9, 9. *Filia Sion, ecce Rex tuus venit justus & pauper, sedens super asinam & pullum filie subjugatus.* Ecce Judæi! Pauper veniet Messias, quid igitur divitem expectatis, quem propter divitias meritò repudiare debeatis, ut quæ divino oraculo non consonent. Cur equis, curribus, militibusq; stipatum & bella-

tozem

torem desideratis, quem abjectissimo animalculo vehendum Va-
 tes prædicat? Quid opes? quid honores mundi sunt? nonne au-
 reus quidam nubium color temporis momento evanescens? non-
 ne abjectissima mancipia fuerunt Cæsares, Alexandri, Caligulæ,
 Nerones, Sardanapali, & sexcenti alii, in quæ Deus immensa propè
 opum pondera congeffit. Tenent hæc evanida delectamenta Re-
 ges mundi. Non sunt hæc ornamenta Messia, sed vilissima ossa,
 quæ ut plurimum canibus istis Deus ex opulentissima mensa pro-
 jicit arrodenda, furfuracei panes, quibus infima sæpè mancipia
 alit. Saulis regia arma strenuus David cum Goliatho pugnaturus
 repudiavit, 1. Reg. 17. Messias etiam regia stemmata honores &
 opes rejectavit cum Dæmone congressurus. Exinanivit seipsum
 formam servi assumens, non necessitate sed charitate: non vi sed
 voluntate ductus, ut illius κένωσις nos repletet cœlestibusq; donis
 cumulet Phil. 2. 2. Cor. 8. Miratur hanc paupertatem Jeremias
 cap. 14. ubi Messiam sic alloquitur: *Expectatio Israel Salvator ejus in
 tempore tribulationis, quare futurus es quasi colonus in terra, & quasi via-
 tor declinans ad manendum, quare futurus est veluti vir vagus, aut fortis,
 qui non potest salvare?* Quibus verbis Messiam describit hominem
 inopem, propria domo carentem, Judæam pedibus peragrantem,
 & hominum opinione imbecillum, qui tamen divina præditus es-

Lex & Ev- set fortitudine.

angelium
 distinguun-
 tur.

49. Quarta est DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGE-
 LII. Illa promulgata est olim in monte Sinai cum fulmine & ingen-
 ti terrore populi, Exod. 19. hoc verò è monte Sion cum exultatio-
 ne promonavit, indeq; in omnes terræ fines propagatum est Psal.
 19. Rom. 10. De hoc discrimine duorum Testamentorum pulcer-
 rimè differit Apostolus Gal. 4. & Christus ipse ait Luc. 24, 47. Sic
 oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die & prædi-
 cari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in
 omnes gentes initio facto ab Hierosolymis.

Indoles ve-
 re fidelium
 quanam?

50. QUINTA, DE NATURA VERE FIDELIUM. Multi
 hodiè sunt, qui veri Christiani audire volunt, cum tamen nemi-
 nem ad studia pietatis extimulent: imò multos properantes ad
 montem Domini remorentur & cohibeant. Contrà verò fideles
 non tantùm ipsi vias Domini ingrediuntur, & in semitis Dei am-
 bulant,

bulant, sed etiam alios exhortantur, ut unà secum iisdem viis incedant. Ejuscemodi pietas cernebatur in Rege Davide, qui, postquam peccatorum suorum remissionem à Deo impetrasset, & à Spiritu recto confirmatus esset, certò pollicetur, se etiã alios transgressores docturum vias Domini. Psal. 51. Exoptavit hoc etiam electum Dei organum Paulus, qui magno pietatis Zelo ad Agrippam audientem concionem ejus de passione & resurrectione Christi, sic dicebat: *optarim à Deo, ut & propemodum & admodum, non tu modo, sed omnes ii, qui me audiunt hodie, facti essetis talis, qualis ego sum, nempè Christianus, Act. 26. v. 29.*

51. Sexta est de CERTITUDINE ET ORIGINE DOCTRINÆ EVANGELICÆ. Probatur I. AB AUCTORE, qui est Jehova. Dicitur enim in textu יהוה אור, lumen Domini. Hunc auctorem divinum innuit ipse Salvator Matth. 10. v. 20. *Non vos estis, inquiens, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri.* Hic Spiritus docebat Apostolos in festivitate pentecostali τὰ μεγαλεῖα τῆς θεῶν, hoc est, doctrinam Evangelii, quam alibi vocat Paulus δὴ ἀμὴν τῆς θεῶν Rom 1. v. 16. 2. A L O C O. Exivit enim è Sion, hoc est, è civitate Hierosolyma, Esa. 2. v. 3. Psal. 110. v. 2. in cujus palatiis Deus notus fuit Psal. 48. v. 3. hoc est, interprete Gesnero, quæ veram religionem professa est, quo nomine etiam Deus illam unicè dilexit & defendit. Quam igitur doctrinam Apostoli Hierosolymis instinctu Spiritus Sancti non acceperunt, illa non est divina & vera Christi doctrina. 3. AB EFFICACIA. Hanc sibi omnes gentes ad montem Dei ascensuræ firmiter pollicentur, cum inquiunt: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, ut doceat nos vias suas, & ambulemus in semitis ejus. Credunt igitur gentiles hi solum Dei verbum habere hanc efficaciam, ut à vera salutis via exorbitantes reducat. Credidit hoc Psalmista Regius Psal. 19 v. 8. ubi ait: *Nisi lex tua gaudium meum fuisset, periissem in afflictione mea.* Experti sunt insuper hanc efficaciam discipuli Emauntici Luc. 24. quos Christus sua doctrina convertit, & à falsa via in veram perduxit. 4. A PROPAGATIONE ADMIRANDA, quandoquidem doctrina Christi per abjectos & infimæ conditionis homines inter tot pericula propagata est in universum ter-

Certitudo
& origo do-
ctrina Ev-
angelii un-
de?

rarum orbem, juxta illud Psalmistæ: *Exivit sonus eorum in omnem terram.* Unde hanc propagationem Paulus mirari satis nequit, cum exclamat. 2. Timoth. 3. v. 16. Citra controversiam magnum est pietatis mysterium, quod DEUS (incarnatus) prædicatus est gentibus, & creditus in mundo, cum tamen ejus doctrina Græcis fuerit stultitia, Judæis verò scandalum. 1. Cor. 1. v. 23.

USUS ELENCTICUS

CONTRA JUDÆOS.

52. Tria ζήτηματα, quæ inter nos & Judæos controversantur ex hoc præsentis loco solidè refutari possunt, quando quæritur 1. *An promissus mundi Messias venerit?* 2. *An Jesus Nazarenus sit verus mundi Messias?* 3. *An Messias regnum habiturus sit politicum, quale olim extitit Davidis aut Salomonis?* Singulas quæstiones iis fundamentis enodabimus, quæ textus noster suppeditabit.

CONTROVERSIÆ PRIMÆ.

53. PRIMAM QUÆSTIONEM quod attinet, qua acerrimè quæritur: *An promissus Mundi Messias venerit,* ejus negativam *Ἀπασιών* defendunt Judæi, suæq; negationis argumenta quinque depromunt ex hoc præsentis Esaiæ vaticinio, sic arguentes: Prædixerunt Prophetæ 1. Messiam nasciturum in fine dierum: at nostrum Messiam non venisse in novissimo tempore mundi. 2. Ipso exhibitum iri montem (Morijam) domus Domini in vertice montium, quod nondum factum fuerit. 3. Ad ipsum congregatum iri omnes gentes, cum tamen ex 70. populis vix quatuor vel quinque nostrum Messiam receperint. 4. In adventu Messiae populos sese invicem excitaturos ac dicturos: *Venite adscendamus ad domum Domini, & ad domum Dei Jacob:* at postquam noster Messias venit, nunquam auditum fuit à gentibus dicentibus: *venite, ascendamus ad domum Domini, & ad templum Dei Jacob:* sed *venite, ascendamus ad domum Mariæ, Petri, Nicolai, Thomæ, Annæ & omnium sanctorum.* 5. In adventu Messiae cessatura arma bellica, ac summam concordiam inter omnes populos futuram, id quod etiam nondum impletum cernatur.

Judæi ex
h. l. quinq;
argumentis
probant,
Messiam
nondum
venisse.

54. Respondemus ad singula paucis. 1. Judæos non intelli- *Refutantur*
gere naturam vocis אָרְרָא quæ notat postea, unde est, quod אָרְרָא
pro posteritate seu filiis sæpè in codice biblico accipiatur. Plura,
quæ huc faciunt, vide th. 1. 2. Elevatio montis non corporalis, sed
spiritualis est. Confer th. 9. 3. Vox כֹּל omnes intelligenda hîc
est limitatè de maxima parte gentium, si conversionem intueris;
illimitatè verò si respicis vocationem, quæ sanè omnibus populis
sub cœlo viventibus obtigit, cujus universalis vocationis testes ha-
bemus Apostolos. Confer th. 17. 4. Occurrit in textu $\mu\acute{\iota}\mu\eta\sigma\iota\varsigma$
Prophetis usitata. Unde respiciendus hîc non est nudus verbo-
rum sonus, sed potiùs sensus. Neque enim vates præcisè notare
voluit verba, quibus cives Christi ad obeundum verum Dei cul-
tum sese sint excitaturi, sed potiùs affectum eorum expressit, quod
nimirum conjuncto studio se associaturi sint regno Messia. Quod
verò templa Christianorum à diversis sanctorum nominibus de-
nominantur, id non fit eo fine, ut ipsis peculiaris cultus præstari
debeat: quam superstitionem & idololatriam vera Christi Eccle-
sia in papisticis sancticolis semper damnavit: sed ut unius urbis
templa ab aliis discernantur, aut qui fines sunt alii omni supersti-
tione & impietate carentes. 5. Denique dicimus verba illa de
gladiorum in vomeres, & lancearum in falces non $\xi\eta\tau\omega\varsigma$, literaliter
& propriè; sed $\nu\omicron\eta\tau\omega\varsigma$, spiritualiter esse intelligenda, nempe de
pace potissimam conscientia, quæ est fructus regni Christi præ-
clarus. Plura quæ ad refutationem horum $\alpha\upsilon\tau\iota\beta\lambda\eta\mu\acute{\alpha}\tau\omega\upsilon$ Judai-
corum conferunt, vide in antecedentibus.

55. Nos potiùs argumenta hæc Judæorum invertimus longè
melius ex iis affirmativam quæstionis propositæ extruentes. Pro-
bamus igitur Messia adventum 1. *A tempore.* Prædicatur hîc à Pro-
pheta, Messiam venturum & paraturum esse regnum suum in no-
vissimis diebus, hoc est, interprete Daniele cap. 7. v. 44. tempore
Monarchiæ ultimæ, seu sub occasum politiæ Judaicæ, teste Jaco-
bo Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Juda, neque legislator de
pedibus ejus, donec veniat מָשִׁיחַ , hoc est, Messias, uti inter-
pretatur paraphrastes Chaldæus Judæis authenticus consentiente
Schilo quis?
P. Galatino lib. 4. cap. 4. Quod verò hujus insignis vaticinii veritatem

even-

eventus comprobarit, attestatur historia Evangelica: quandoquidem Lucas divino numine impulsus expressè scribit *cap. 2. Messiam natum esse imperante Augusto Casare peregrino, itemq; regnante Herode rege alienigena, Matth. 2.* Et quamvis aliquantisper regnum tempore nati Christi penes Herodem remanserit, atque ita Sceptrum de Juda uno statim momento penitus ablatum non videatur: tamen illud paulatim & diversis gradibus factum est, quod ex Josepho & aliis facilè demonstrari potest.

*Doctrina
Messia de-
bebat esse à
Mosis do-
ctrinâ di-
stincta.*

I I. A solemnè promulgatione Evangelii. Prædicatur hîc, Messiaë doctrinam promulgatum iri in totum terrarum orbem, cujus vaticinii complementum legitur Actor. 2. Rom. 10. Coloss. 1. Quod verò hæc Messiaë doctrina in totum orbem propaganda distincta sit à doctrina Mosis (sicuti debebat esse juxta vaticinium Mosis Deut. 18. v. 15.) docet tacita antithesis inter legem, quæ promulgata est in monte Sina, & inter legem quæ solenniter patefacta est in monte Sion, hoc est Hierosolymis, id quod etiam adimpletum fuisse docemur ex Actis Apostolorum c. 2. v. 5.

III. A vocatione gentium, quæ potissimum dilata est in adventum Messiaë. De hac autem in textu nostro valde illustre extat vaticinium, cum ait Propheta & fluent ad eum (montem) OMNES GENTES. Complementum vide locis allegatis.

*Messias de-
bebat veni-
re in secun-
dum tem-
plum, quod
eversum.*

IV. Ab everfione urbis Hierosolymæ. Prædicat hîc Propheta Messiam venturum, suiq; regni collectionem incepturum in Sion, hoc est Hierosolymis. Cum quo consentit Haggæus, qui cap. 2. v. 7. 8. 9. & 10. expressè vaticinatur, Messiam in secundum templum venturum, illudque præsentia sua veluti solis clarissimi illustraturum. Jam verò Hierosolyma unà cum ipso templo tam magnificè Haggæi tempore exædificato jamdudum per Titum Vespasianum est everfa, & tota Judæorum Respubl. deleta, ideoq; venit Messias; suaq; præsentia concionibus & miraculis illud collustravit, id quod Esaias etiam per revelationem montis in vertice omnium montium notanter voluit exprimere, ac propterea Haggæus templum secundum, in quo Christus docuit, primo à Salomone extracto longissimè præferre.

V. Ab impletione desiderii gentium. Exprimit hîc Esaias, gentes incredi-

incredibili desiderio sese aggregaturas regno Messia, quem in finem illas sese invicem cohortantes introducit, quasi dicturae sint: *Venite & ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob.* Idem vult Haggæus, qui Messiam disertè vocat *חֲמַרְתָּ כָּל-הַגּוֹיִם*, desideratum omnium gentium. Quo eximio epitheto describit non tantum Patrum desideria, qualia leguntur *Es. 45. vers. 8. cap. 64. v. 1. & 14. vers. 7.* sed & vota & ardorem gentium, quem tempore Novi Testamenti ad Christum conversa habiturae sint. Jam verò dent *Judæi non nobis Judæi* alium desideratum, quàm Messiam nostrum. Certè *possunt alii non poterunt;* quod sciam. Si *Cyrum* nominaverint, frustra fiet. *um desideratum omnium gentium dare,* Is enim minimè fuit desiderabilis *Omnibus gentibus,* sed *Judæis tantum* in captivitate Babylonica pressis. Si suum bellicosum & splendidum Messiam, quem ipsi stolidè expectant, intellexerint, vim faciunt vaticinio Haggæi, qui de tali Messia nihil novit; sed de illo *quam JE-* concionatur, qui est semen mulieris, semen illud benedictum, cuius *NUM Na-* jus Protoparentes nostri & alii pii in Vet. Testam. tanto flagrarunt *zarenum.* desiderio: cuius item Ecclesiae multi ex gentilitate in N. T. sese aggregare voluerunt, ut qui ipsorum lumen futurum sit, *Esa. 2. v. 5. c. 9. v. 2;* id quod agnovit Simeon, *LUC. 1.*

CONTROVERSIA SECUNDA.

LVI. Hæc sunt argumenta pro exhibitio Messia ex textu adducta; quibus probè ita consideratis de quæstione altera: *An Jesus veri Messiae quænam?* *Nazarenus filius Mariae sit verus mundi Messias:* facile iudicium fieri poterit. Si placet, adde etiam alia *κελημερια*, quæ Prophetæ alibi inculcant! Talia sunt. 1. TRIBUS seu familia Messia, de qua vaticinatur *Jacobus Gen. 49. v. 10. & Esaias in primis c. 11. v. 1. Jeremias cap. 23. v. 5.* 2. PATRIA seu LOCUS Nativitatis, quem peculiariter notavit *Micheas c. 5. v. 2.* 3. MATER VIRGO, de qua loquitur *Es. 6. 7. v. 14.* 4. NOMEN JEHOVAH, quod disertè exprimit *Jerem. 23. v. 5. vocabunt eum,* inquit, *Jehovah justitia nostra.* 5. Unio duarum naturarum, divinæ nempe & humanæ, quam emphaticè exprimit *Esaias cap. 9. vers. 6.* 6. Miracula, quæ prædicat *Esaias cap. 33. v. 5. & 6.* 7. Ingressus in urbem Hierusalem, de quo vaticinatur *Zach. cap. 9. v. 9.* 8. Passio. 9. Mors. 10. Sepultura. 11. Resurre-
E
ctio

ctio & 12. Ascensio ad cœlos, de quibus omnibus quasi in com-
pendio vide Esaiam c. 53, ut & Davidem Psal. 22.

*Omnia
κρητήρια
Messiæ Jesu
Nazareno
convenire
hic proba-
tur.*

57. Jam verò κρητήρια hæc enumerata omnia Jesu Nazareno
exactè convenire probamus ex Novo Testamento, quod licet non
recipiant præfracti Judæi, illius tamen testimoniis tamdiu stamus,
donec nobis contrarium probent, id quod facturi sunt ad Calen-
das Græcas. Tria priora κρητήρια in Jesu Nazareno filio Mariæ
exactè completa esse testatur vel solus Lucas Evangelista cap. 2.
Tria item sequentia Jesu Nazareno ex amissim convenire præ-
ter Apostolorum testimonia (qualia sunt Rom. 9. v. 5. 1. Cor. 1. v. 30.
Joh. 1. v. 14. Matth. 11. v. 5.) testantur etiam plurimi Judæorum, qui
Jesum Nazarenum non tantùm γυνόν καὶ ἕμιλόν ἀνθρώπων, sed et-
iam Deum esse existimarunt, sicuti nomine Phariseorum præcla-
ram confessionem edebat Nicodemus, scimus, inquit, quod à Deo
venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus
fuerit cum eo Joh. 3. v. 7. Quinimò etiam perversissimi Judæorum
attoniti stupendis ostentis, quæ in morte Christi cernebantur vi-
veritatis adacti exclamarunt dicentes: Vere hic (Jesum Nazarenus)
filius Dei fuit, Matth. 27. v. 24. Duo denique ultima κρητήρια in Jesu
Nazareno præcisè completa esse ostendit cum primis Evangelista
Matth. c. 21. c. 26. 27. & 28.

CONTROVERSIA TERTIA.

*Regnum
Messiæ non
esse terre-
num hic
docetur.*

58. Restat enodatio tertiæ quæstionis, quâ quæritur; *An re-
gnum Messiæ sit terrenum?* Judæi ajunt, Christiani negant. Urgent
illi cum primis modum descriptionis, quod nempe regnum Messiæ
phrasibus rerum terrenarum describi soleat à Prophetis. Sed hoc
non obstat. Sunt enim phrasæ istæ metaphoricæ adhibitæ eo fi-
ne, ut per hæc externa & corporalia deducamur in contemplatio-
nem rerum internarum & spiritualium. Nos potius urgemus re-
gni Christi *πνευματικά*, quæ non sunt secularia, sed spiritualia.
Horum in textu tria occurrunt, quæ ordine videamus 1. *Subditi*
regni Messiæ sunt fideles. 2. *Sceptrum* est Evangelium, hoc est; con-
cio illa gratiæ de remissione peccatorum Luc. 24. 3. *Beneficia* vi-
de th. 47.

deth. 47. quibus adde illa, quæ Paulus adducit Rom. 14. v. 17. Quare concludimus contra Judæos, phrasas istas Prophetarum intelligendas esse juxta materiam subjectâ, hoc est, naturam regni Christi, quod non est de hoc mundo, teste ipso Messia, Joh. 19. v. 36.

II. CONTRA PONTIFICIOS.

59. Præterea ex præsentis loco solidè etiam refutari possunt errores quidam Pontificiorum, quales sunt 1. Homines esse ad fidem cogendos, id quod ipsa praxi jam ostendunt. 2. Ecclesiam Romano-Papisticam esse Matrem ac Magistram omnium Ecclesiarum. 3. Traditiones humanas non scriptas pari pietatis affectu & reverentia cum scripturis Canonicis esse recipiendas. 4. Scripturam Sacram, per quam Spiritus Sanctus loquatur, non esse judicem omnium controversiarum fidei. 5. Scripturam Sacram esse obscuram. 6. Dari libertatem arbitrii in rebus spiritualibus. 7. Ecclesiam Christi esse visibilem & illustrem cætum. Hosce squalidos errores ordine & breviter ex textu præsentis discutiemus, sepositis fundamentis aliis, quæ huc ascribere ratio thesium non permittit.

60. PRIMUS ERROR de coactione hominum ad fidem refutatur emphasi verbi CONFLUENT, quo significatur, veram Christi Ecclesiam homines à Spiritu Sancto per verbum instar fluvii incitatos (Joh. 7. v. 38.) & sua sponte admiranda animi promptitudine affluentes alveo suo excipere. Populus enim Dei est populus spontaneus *ψ. 110. 3.* qui Spiritu Dei ducitur, non autem gladii & ignis *Rom. 8.*

Homines non esse ad fidem cogendos docet Esaias.

61. SECUNDUS ERROR de Ecclesiæ Romano-Papisticæ eminentia, quam ideò Magistram religionis dicere haud verentur Papistæ, quod Petrus ibidem Episcopatum administravit, confelatur auctoritate Esaiæ, qui hoc in loco disertè vaticinatur fore, ut in novissimis temporibus mons Dei, hoc est, Hierosolyma (quam voce Sion per Synechdochen partis pro toto innuunt Prophetæ) exaltetur: id quod impletum est tempore præsentis Christi, Petri & reliquorum Apostolorum, qui primitus Hierosolymis docuerunt, miracula ediderunt, & inde Evangelium in totum terrarum orbem disseminarunt. Unde rectè scribit Hieronymus hoc

Magistram religionis & dominam omnium Ecclesiarum nec Hierosolymam nec Romanam esse hinc probatur.



in loco : In Hierusalem primùm fundata Ecclesia totius orbis Ecclesias seminavit. Neque tamen idcirco Ecclesiæ Hierosolymitanæ debetur dominium in reliquas Ecclesias, & magisterium doctrinæ, sed soli, soli Christo, juxta clara scripturæ testimonia, *Matth. 23. vers. 8. Gal. 1.8. Act. 13.46. Rom. 15. v.19.*

Traditionibus humanis contradicunt hic gentiles.

62. TERTIUS ERROR de traditionibus humanis confutatur pio gentilium desiderio, quippe qui cupiunt doceri vias Domini, doctrinis verò & traditionibus hominum attendere nolunt. Et rectè quidem. Traditionibus enim humanis Deus in cultu pietatis non delectatur, *Matth. 15. v.9.* sed ab iisdem cavendum esse seriò monet, *Coloss. 2. v.8. 2. Thess. 2. v.2.* Adde, quòd sint incertæ, nec par auctoritatis suæ divinæ habeant testimonium cum libris Canonicis. Quì ergò pari pietatis affectu ac reverentia cum scriptis Prophetis & Apostolicis essent recipiendæ? Apagite homines impios!

Scripturam sacram esse judicem omnium controversiarum fidei hic probatur.

63. QUARTUS ERROR diluitur insigni commendatione doctrinæ Evangelicæ. Vocatur enim in textu *IN lumen*. Jam lumen hoc Evangelii adventu suo in mundum dijudicat omnes tenebras ignorantiae. *Joh. 1. v. 5. & 3. v. 19.* Unde Christus ipse, qui tanquam vera illa lux doctrinam Evangelii à se in Paradiso patefactam, postea aliquoties per Prophetas & Apostolos repetivit, & subindè clariùs & manifestiùs eandem proposuit, ait *Johan. 12. v. 88. Sermo, quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die: & iterum: Qui non credit Evangelio, jam judicatus est Joh. 3. vers. 18.* Jam si in novissimo die Judex vivorum & mortuorum sententiam suam judiciariam non ex aliis tabulis, quàm Evangelii, promulgaturus est, teste Paulo *Rom. 2.17.* necesse est, ut nunc quoq; regula judicii in iisdem descripta sit, sicuti etiam revera descripta est, *Marci 16. 16. Qui crediderit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.*

64. QUINTUS ERROR de obscuritate Scripturæ refellitur eodem fundamento. Esse enim lumen, & obscurum esse, se invicem tollunt.

Libertas arbitrii in spiritualibus

65. SEXTUS ERROR de viribus liberi arbitrii in rebus Spiritualibus validè refutatur. I. A propria confessione gentium à diva meias. Dicunt enim *v.3.* se idè ascensas ad montem Dei, ut De-

ūs eas doceat vias suas. Duo igitur confitentur gentiles. I. Propri- *dupliciter*
 am in cognoscendis viis Domini impotentiam, hoc est, naturalem *hic impu-*
 τῆς ἀγνοίας σκοτισμὸν, ἀγνοίαν καὶ μαλαρότητα, qua præpediti *gnatur.*
 non possint δέχεσθαι, recipere fideli assensu mysteria Spiritus ab-
 scondita, v.4. quam caro & sanguis non revelant *Matth.16. v.17.* sed
 solus filius, qui est in sinu patris, ille nobis enarravit *Joh.1.v.18.* Un-
 de & docent penes solum Deum esse δύναμιν docendi & erudien-
 di, hoc est, illuminandi mentem & flectendi voluntatem ab ipso
 averſam. *Gen.6. v.5.* ut vel tandem desinentes *ᾠπαλεῖν ἐν μαλαρό-*
τητι τῷ νοῷ σὺ Eph.4. v.17. incipiant ambulare in viis Domini, hoc
 est, *ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τῶ κυρίου Luc.1. vers. 6.*
 II. *Ab Epitheto Christi & ejus doctrinae.* Vocatur enim Christus ut
 & ejus Evangelium lumen. Ex quo apparet, quidquid sit extra
 Christum & ejus Evangelium, tenebris involutum jacere, præ qui-
 bus Christus magnum illud lumen *ἀντὶ φωτίζον* illuminans o-
 mnem hominem venientem in mundū dignosci nequeat, *Joh.1.v.5.*

66. SEPTIMUS ERROR confutatur ostensione argumen-
 ti *ἀπροσδιονύτου*, siquidem textus præſens (quem objicit *Bellarmini-*
us lib.3. de Eccl. milit. cap.12. pro Ecclesie visibilitate) loquitur de ex-
 terno hominum coetu, qui nunquam in mundo fuit inconspicuus,
 licet aliàs magis, aliàs minùs floruerit. Porro sicut τὸ ἐξώτερον
 montis oculorum *κερῶν* quidem subjacet: τὸ ἐσώτερον verò non
 apparet; ita externa quidem Ecclesie societas & ministerium
 (nempè Apostolorum, de quo hîc sermo est) in sensus incur-
 rit: at qui verè intus sint membra veræ Ecclesie, oculis non diju-
 dicatur, sed soli Deo *Cardiognostæ* cognitum est *2.Tim.2.8.*

III. CONTRA CALVINIANOS.

67. Valet hujus loci usus etiam contra Calvinianos, quorum
 dogma de particularitate absolutè prædestinatorum ad vitam, & *Absolutam*
 absolutè reprobatorum ad mortem perquam notum est. Refelli- *Dei decre-*
 tur autem solidè *ab Universalitate vocationis*, quam Esaias hîc diser- *tum hîc re-*
 tè propugnat: *Omnes gentes*, inquit, *ad montem Domini confluent. refutatur.*
 Quæ sanè verba, si pia mente consideres, insigne testimonium
 continent de universali vocatione omnium gentium & populo-
 rum ad communionem Ecclesie, quæ olim à *Jacobo* prædicta



Gen. 49. 10. itemq; Davide Ps. 2. 8. & 72. 8. nec non Esaiam 6. 49. 6. & 60. 3. & præstita Marc. 16. 15. Act. 10. 35. Rom. 10. 18. Coloss. 1. 23. Christus enim solvit τὸ μεσότοιχον τῆς Φραγμῆς, interstitium nempe illud, quod arcebat gentes à communione Ecclesiæ. Eph. 2. vers. 4. & sic factum est unum ovile, Johan. 10. vers. 16. Jam verò hæc ipsa vocationis universalitas arguit universalitatem quoque divinæ voluntatis, quæ non est absoluta, sed ad ministerium ἡγῆσθαι, hoc est, evangelii determinata, quo neminem vult perire, 2. Petr. 3. vers. 9. sed omnes πρὸς ἴπινωσιν τῆς ἀληθείας pervenire, 1. Tim. 2. vers. 4. & denique salvos fieri, Exech. 18. v. 38. Job. 3. v. 17. Perit igitur absolutum decretum, μορμολύκιον illud Diaboli. Nec evadit Marloratus, qui sententiæ Lutheri de universali Dei voluntate aspergit glossema suum, quod DEUS ex quolibet ordine velit aliquos salvos fieri. Est enim hoc Ἰσδοργαφῆμα Marlorati, nec additamentum B. Lutheri. Audiamus ejus verba, quæ ipse habet Comment. in Esaiam cap. 2. Tom. 3. Lat. Jen. p. 304. *Universale signum, Omnes gentes, non ita est intelligendum, quod omnes gentes sint convertendæ. Ea quidem est Dei voluntas revelata in verbo, quod omnes vult salvos fieri, & ideò Evangelium in totum mundum spargitur, ut non sit locus, in quo non sit prædicatio Evangelica. Sed quanquam non omnes accipiunt Evangelium, tamen ubiq; aliqui convertuntur. Neque enim frustra prædicatur Evangelium, sed sanctificat & fructificat in omni loco, sicuti infra dicit Prophetam cap. 55. &c.* Ex his colligitur B. Lutherus distinguere inter pro-
pensionis hujus effectum, seu actum & salvationem ipsam. De illo ait loqui hic Esaiam, non verò de hac. Q. d. Esaias hoc in loco ostendit, non quid omnes gentes facturæ sint, sed quid juxta benignam Dei voluntatem facere debeant. In toto hoc discursu B. Lutheri ne gry, ne hy, ne my quidem invenis de glossemate Marlorati, quod abunde refutant loca antea allegata.

IV. CONTRA PHOTINIANOS.

68. Contra Photinianos ex hoc loco probatur. 1. Divinitas Christi. 2. Salus veterum, quæ ipsis per fidem in Messiam venturum contigit, uti nostræ docent Ecclesiæ nihili putantes, quicquid etiam in contrarium reponant per duelles illi CHRISTI hostes.

CON-

CONTROVERSI A P R I O R.

69. Divinitas Christi Regis Sionii probatur disertè. I. *A Nominine Jehova.* Ita enim bis appellatur in textu v. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus Mons domus DOMINI?* Item v. 5. *Ambulemus in itinere DOMINI.* In Hebræo semper est vox יהוה quam soli naturâ Deo competere ostenditur. I. *Ab ipsius DEI testimonio Es. 42. v. 8. Ego Jehova, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Item *Amos v. 6.* Quibus in locis Deus hoc nomen (Jehova.) cum operibus purè divinis connectit, atq; ita sese ab omni alia Deorum turba secernit. *A vocabuli notatione.* Oritur enim à radice יהוה, quæ significat, fuit: eò quòd Deus sit ens summum & independens, à quo creaturæ suam dependentiam & subsistentiam habent; qui quoq; dùm in nihilum redactus esse videtur, se ipsum restituere potest, juxta illud Christi *Joh. 10.* Ego habeo potestatem vitam deponendi & assumendi. III. *A Communi Hebræorum aliorumq; Theologorum consensu.* Secus enim qui sensit ex purioribus Theologis nemo fuit. Vide *sermonem Galatinum lib. 2. de arcan. Cathol. verit. cap. 1.* Deinde & 2. probatur divinitas Christi *à potestate Judiciaria.* De hac ita loquitur Propheta v. 4. *& judicabit gentes.* Exerturus autem est Christus hanc suam potestatem judicariam magna gloriâ & majestate in extremo die seu judicio, in quo cum non tantùm dicta & facta, sed *τὰ κρυφὰ τῶν ἀθεώτων*, uti loquitur D. Apost. *Rom. 2 v. 16.* judicanda sint, necesse profectò est, Regem nostrum Christum abstrusissimas illas cordium cogitationes exactè cognitâs habere, id quod soliùs naturâ Dei proprium *ψ. 7. v. 10.* Adde *ἐκ θεοῦ τῶν* & hoc, quòd ex loco parallèlo de potestate judicandi, qui extat *Joh 5.* infinita ac divina majestas Christo secundum humanam naturam in tempore data probari soleat. Nisi autem Christus, quâ Deus est, illam potestatem haberet, ipsi sanè, quâ homo est in tempore communicari non potuisset.

Divinitas
Christi pro-
batur hîc
dupliciter.

CONTROVERSI A P O S T E R I O R.

70. Non minùs solidè etiam ex hoc loco contra Photinianos, in pri-

in primis autem contra Socinum in tract. de Justific. p. 116. probamus
 Patres V. T. Patres in Vet. Testam. credidisse in Messiam, fuisse ad hoc obstri-
 1. credidisse ctos & per fidem salvatos I. *A claritate promissionis*, quæ extat in
 in Messiam. textu de regno Messiaë, in quo gentibus æquè ac Judæis futurus sit
 2. fuisse ad locus. Ubi autem est promissio, ibi eam oportet fide recipi. Pro-
 hoc obstri- missio enim & fides sunt correlata. Cui aliquid promittitur, is
 ctos & 3. per tenetur promissioni credere; aliàs esset frustranea. Jam Judæis
 fidem in il- & gentibus hoc in loco promittitur Rex Messias, cujus illi futuri
 lum Salva- sint cives. Ergò huic promissioni tenebantur fidem habere.
 tos proba- II. *Ab efficacia promissionis divinae*. Certum est, ubicunque sonat
 tur. verbum Dei, præsertim promissionis, eo sanè homines, si non o-
 mnes, tamen aliqui convertuntur, ut ipsi fidem habeant, juxta
 illud *Esaiæ cap. 55. vers. 10.* Verbum meum non revertetur vacuum,
 sed faciet quæcunq; volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi il-
 lud &c. Qui verò fidem habent promissionibus divinis, præser-
 tim de gratia & salute per Messiam impetraturâ, illos salvari neces-
 se est juxta illud Petri *Act. 10. vers. 13.* Huic (Christo) omnes Prophetæ
 testimonium perhibent, remissionem peccatorum recipere omnes, qui cre-
 dunt in eum: Itemq; *Act. 4. v. 10.* Non est in alio salus (quàm in Christo)
 nec aliud nomen sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos
 fieri. Quare cùm permulti in Vet. Testam. hisce promissionibus
 divinis de gratia & salute per Christum impetratura fidem habue-
 rint, illi sanè per hanc ipsam fidem Deo placuerunt & salvati sunt:
 quandoquidem promissione posita ex parte Dei, & fide ex parte
 nostri, non potest non bonum promissum accipi & haberi, uti re-
 ctè docet *Clariss. D. Præses disput. de fide & effectu fidei, thes. 303.*
 Confer insuper d. l. ut & in brevi confid. Th. Phot. exempla cre-
 dentium, pag. 363. 765. 766. 780. 787. III. *A fine promissionis divinae*.
 Quod Esaias hoc in loco & in aliis pluribus regni Christi mentio-
 nem facit, nullo sanè fit alio fine, quàm ut ejuscemodi promissio-
 nibus fideles sui seculi erigerentur, neque in publicis & concate-
 natis propè calamitatibus labascerent. Unde est, quod v. 5. gra-
 vissimam instituit exhortationem ad Judæos, ut & ipsi Christum
 magnum illud lumen recipiant, & ejus Evangelio, quod etiam lu-
 men dicitur, assentiantur. Et hæc sunt fundamenta nostræ θεσεως
 quæ

quæ textus suppeditavit. Plura alia qui desiderat, conferat *Dn.D.*
Præsidem. loc. dict.

V. CONTRA ANABAPTISTAS.

71. Locus præsens de conversione gladiorum in vomeres, & lancearum in falces minimè patrociniatur Anabaptistis, qui exinde ut & aliis Scripturæ locis per vim contortis probare nituntur erroneam suam opinionem, quasi videlicet omnia omninò bella N. T. Christianis prohibita sint & interdicta. Differit enim Propheta de privata Christianorum concordia, & quid ipsos invicem deceat, monet. Bella autem gerere pertinet ad publicum Magistratus publici officium, quod in N. T. nequaquam abrogatum esse patet. I. *Ab auctoritate Johannis Baptiste*, qui militum rapinas tantùm improbat, arma autem ut deponant, non monet Luc. 3. 14. II. *Ab exemplo Centurionis* Matth. 8. qui militare vitæ genus sectabatur, nec tamen à Christo reprehendebatur, sed ejus fidem & pietatem commendabat. III. *A Testimonio Pauli*, Rom. 13. v. 14. ubi disertè ait, gladium Magistratui traditum esse à Deo ad coercendos impios, Quare Evangelium Christi Regis Sionii non abolet politias, quas inter refertur Magistratus officium publicum, quale est propulsare injuriam. Alioquin si τὸ ἔργον in præsentivaticinio prophetico simpliciter esset retinendum, simpliciter pugnaret cum vaticinio Salvatoris, qui certò prædixit, ante novissimum diem auditum iri bella, bellorumq; rumores, consurrectionem gentem contra gentem, & regnum contra regnum alterum Matth. 24. v. 6. Prophetæ igitur bella non interdicunt.

Error Anabaptistarum de intermissione bellorum refutatur.

USUS PARACLETICUS.

72. Locus præsens insignem nobis subministrat consolationem, eamq; sextuplicem. *Prima* est de veritate promissionum divinarum. Promiserat Deus olim, præsertim Davidi, se unctum suum constituturum esse in monte sancto Sion, ipsique daturum gentes in hæreditatem, Psal. 2. Ecce! Deus stetit his promissis. Misit ille ante annos 1625. promissum Messiam, Regem illum arcis Sionix Luc. 2. Gal. 4. Quare cum tibi, mi homo, gratiam & salutem

F

tem

tem in Christo hoc Rege tuo pollicetur Dominus, confide tantum, Deum servaturum sua promissa, nec tibi in afflictione tua defuturum. Pſal. 2. v. ult. *Altera* est de veritate Ecclesiæ. Scimus nos esse verum Dei populum & veram Christi Ecclesiam. Unde? Quia profitemur post propheticam solam illam doctrinam, quam Apostoli instinctu Spiritus Sancti acceperunt, & inter gentes seminarunt. *Tertia* est de divinitate Regis nostri. Insigne solatium est, nos habere Regem, non terrenum, non impotentem, qui facile ab hostibus vinci possit, sed cœlestem, sed omnipotentem, qui imperat iræ Dei, peccato, morti, diabolo & inferno. Erige te animula mea! *Quarta* est de firmitate regni Christi. Alia mundi regna etiam florentissima intereunt, Christi regnum perpetuò durat, nec à portis quidem inferorum everti potest Matth. 16. *Quinta* est de majestate regni Christi. Hæc ignota est impiis omnibus, è contrà à solis conspicitur fidelibus, morigeris illis Christi civibus, quorum mentes à Spiritu Sancto sunt illustratæ. *Sexta* est de beneficiis regni Christi. Quid optabilius bona conscientia? Quid jucundius amicâ concordia. Agedum! Dominus promittit & dabit tibi hæc divina munera, gaude tantum, mi homo, placato potes non miser esse Deo.

USUS PARÆNETICUS.

73. Ultimus hujus loci usus generalis, est ὁ ἑπιτιμῶν, hortatorius. Hortatur enim nos

I. *Ad Orationem.* Oremus & nos DOMINUM, ut doceat nos vias suas, & ambulemus in semitis ejus. Fecit hoc etiam David, vir ille juxta cor Dei Act. 13. v. 22. qui, etsi legem Dei in promptu habebat, & diurna nocturnaq; versabat manu, beatum prædicans, qui in eadem die ac nocte meditaretur: multis tamen iteratis verbis magnoq; Zelo Pſal. 119. divinam implorat gratiam, qua in verbo mandatisq; divinis de cœlesti veritate feliciter erudiri menteq; illuminari possit, his precandi formulis vers. 10. *Ne errare sinas me à mandatis tuis*, v. 12, 26, 64, 68, 124. *Doce me justificationes tua*. v. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, v. 27. *Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis* v. 33. *Doce me*

me Domine viam justificationum tuarum, vers. 66. Bonum intellectum & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi, v. 73. Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Si quis igitur ad res sacras vult accedere, ille primò omnium oret patrem luminum, à quo omne donum optimum & perfectum proficiscitur, ut per Christum, lucem illam Magnam Esa. 9. in Spiritu Sancto, qui gratiosa sua præsentia, donisq; cœlestis veritatis cognitione corda fidelium mirabiliter illustrat, verbi sui notitiam & veros sensus clementer velit aperire, uti jubemur Jacob. i. v. 5. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus simpliciter.

II. AD VITÆ NOVITATEM. Non sufficit nosse tantùm vias Domini, hoc est, veram ac salvificam vivendi rationem: sed oportet etiam accedat obsequium, uti seriò monet Salvator Luc. 12. v. 47. *Servus, inquiens, qui novit voluntatem Domini sui, & non se preparavit, nec fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis.* Quod considerans secum Paulus Doctor ille gentium de se ingenuè scribit I. Cor. 9. v. 27. *Castigo, inquiens, corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.* Qui igitur veritatem cognoverunt, ad eam quoque diligentius vivant, ne Domino suo obsequium postulanti aliquando pœnas dare cogantur.

III. AD CONSIDERATIONEM PACIS SPIRITUALIS, quâ hoc in loco vates omnia beneficia Messiaë complectitur. Fecerunt hoc Angeli, qui eâ ipsâ nocte, quâ promissus noster Messias nascebatur, de pace hâc, auscultantibus pastoribus, concionati sunt Luc. 2. Cum enim ante hanc salutis nostræ reparationem omnia & suprâ & infrâ nobis Adamigenis essent infensissima, jam tandem nato & exhibito Messia omnia nobiscum sunt pacificata. Hic namque hic recuperavit nobis pacem 1. *supra nos*, Deum nobiscum reconciliando Rom. 5. v. 1. c. 10. 2. *intra nos*, conscientiam nostram sedando, Esa. 32. v. 17. 3. *infra nos*, fremitus Satanæ compescendo, ne ille & infernus nos terrere queant. Hæc est illa pax Christi eximia, quam visibilē suam præsentiam mundo subtracturus discipulis suis & nobis omnibus reliquit Joh. 14. v. 27.

IV. AD GRATIARUM ACTIONEM. Cum Deus pro di-
vite sua misericordia nos gentiles etiam, qui olim eramus *χωρὶς
χριστοῦ*, absque Christo, alienati à republ. Israël, & extranei à pa-
ctis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo
Ephes. 2. v. 12. ad societatem regni cœlestis, hoc est, ad Ecclesiam
Christi pervenire voluerit, nobisque beneficiorum ejus usuram
promiserit, adeò ut jam simus *συπολίται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖοι τοῦ
θεοῦ*, v. 19. nostrum profectò est Deo immortales gratias agere
Col. 2, 17. Ipsi igitur DEO PATRI unà cum FILIO &
SPIRITU SANCTO sit gloria & laus in
secula seculorum.

C O R O N I D E S.

Q. I. *An sint duo distincta DEI Testamenta? A.*

II. *An hæc duo Testamenta differant substantiâ, an verò acciden-
tibus, sive alio atq; alio dispensationis modo? Aff. prius contra Calvinianos.*

III. *An Testamenti natura sit petenda ex divisione librorum bi-
blicorum? Seu: an V. T. sit definiendum per libros Mosis, Psalmorum &
Prophetarum: Novum verò per libros Evangelistarum & Apostolorum? N.*

IV. *An Testamentum in genere & in se spectatum sit definiendum
per doctrinam salutis, legis aut Evangelii? N.*

V. *An hæc duo Testamenta, V. & N. sint definienda per fœdus gra-
tiae? N.*

VI. *An Patres V. T. habuerint tantùm promissiones terrenas &
corporales? N.*

VII. *An Vetus Testamentum contineat præcepta imperfectiora,
Novum verò perfectiora & magis ardua? N.*

IX. *An Vetus Testamentum fuerit tantùm timoris, Novum verò
amoris? A.*



di-
is
pa-
ndo
am
am
is
re

nti-
os.
bi-
is
N.
dum

gra-

is

ra,

vero

05 A 722


ULB Halle 3
003 767 183


1017

64







ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ 24
15

Oraculi Prophetici, quod est apud
Esaïam cap. 2. v. 2. 3. 4. 5. & 6.

De

REGNO MESSIÆ,

nec non de

PRÆROGATIVIS
NOVI TESTAMENTI,

Auxiliante Altissimo,

in illustrissima Academiâ Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI,
DOCTORIS ET PROFESSORIS
THEOLOGI

Sui

Præceptoris, Fautoris ac Patroni
honorandi

à

M. SEBASTIANO STARCK GREUSSENATE
Thuringo Alumno Electorali
Publicè proposita.

Ad diem 14. Jan. in Auditorio majori
horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ

Typis CHRISTIANI THAM Acad. Typogr.

ANNO MDCXXV.